






S Herb

XVIII 3/36

Aamni

I S B

Sakutow

PHILIPPICÆ
SIVE
INVECTIVÆ
LX.
IN NOTORIOS
PECCATORES.
PRO SINGULIS TOTIUS ANNI
DOMINICIS.

ad illud:
Increpa eos durè, ut sani sint. Tit. 1. v. 13.

AUTHORE
P. PHILIPPO HARTTUNG,
Sacerdote Societatis JESU.

Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & permissu Superiorum.

EGRÆ.
Primùm. postea
CALISSII, Typis Collegij Soc: IESV.
Anno M. D C. L XXXVIII.

APPROBATIO

R. P. Præpositi Provincialis Provinciæ Bohemiæ

EGo Mathias Tanner, Societatis Jesu per Provinciam Bohemiæ Præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admodum R. P. nostro Tyrso Gonzalez, Societatis nostræ Præposito Generali: facultatem concedo Nicolao Dexter Typographo Egrano, Librum cui Titulus: *Philippica, sive invectiva LX. in veteribs peccatores &c.* Auctore P. Philippo Hartung, Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, atq; à Deputatis ad id Societatis ejusdem Patribus lectum & approbatum, imprimendi.

In quorum fidem, hoc ei Testimonium, manu propria subscriptum, & consveto Officij Sigillo munitum dedi. Romæ 8. Julij ANNO M. DC. LXXXVII.

PERILLUSTRI

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

D. IOANNI KOSTYNSKI

CANONICO GNESNENSI

ARCHIDIACONO LOWICIENSI

Auditori Generali Causarum, & Iudici,

EMINENTISSIMI CARDINALIS

ET

CELSISSIMI PRINCIPIS RADZIEIOWII

PRIMATIS REGNI

PRÆPOSITO WIELICENSI &c.

Domino Colendissimo & Patrono faventissimo.

D*Ivinis armatus* PHILIPPICIS *Sacer Tullius Tuo se sistit conspectui* PERILLUSTRIS *ac* REVERENDISSIME DOMINE. *Eum, agnatus aliàs Oratoribus pallor, pro rostris vetat agere; nisi à* TE, *utpote ad* EMINENTISSIMI *oracula* PRINCIPIS *præsidente approbetur. Togatum in aula com-*

parere puduit, cui non Tu benigniore vultu annuas, quem non indulgentiore pupillâ Tuâ jubeas videre lucem. Quid illi enim cum tenebris? quid cum nocte Atticâ? cui illustris famæ Tuæ prælucet umbra, & clarissimi vitæ Tuæ soles præeunt. Audentiorem quoquè esse par erit Oratorem, ut contra scelera detonet, jam in Antonios fulguret, jam fulminet in Catilinas: ubi Tu velut alter Iupiter, è nido Aquilarum GNEZNA, *fulmina subministras. Blandiora tamen illa erunt, Tuis luminibus illustrata, & nonnisi dulcè ferire poterunt. Polono aperiri orbi nequijt, divinæ legis codex iste, etsi nuper alibi egressus prælo, nisi Tuo primam frontem nomine consignaret. Benè conscius, Tuo sub auspicio, se quantumvis severioris suadæ, libentiùs revolvendum, versandum hilariùs. Et sanè Divinas has* PHILIPPICAS; *nam à Te velut à Numine gaudebunt Majestate, cum tot titulis insignitam Togam Tuam induent. Comparet hic annus integer ad Te citatus, quasi inurbanitatis reus, quòd tam serò, ævum Tibi accersat, & immortalem famæ Tuæ memoriam mandet sæculis. Hujus causæ Tu Iudex & Patronus esto clementior. Luat pœnas, Nominis tanti bajulus ad posteros, nunquam à Tuis pedibus recessurus. Divisêre sibi dies amplissimam Tuam gloriam, quia unum veluti Atlantem cœlum fatigaret, si non tot Alcidas advocaret. Quisque eorum Dominicus, Feriam enim dedecuit Te adire, qui omnia serenas, festa facis omnia, solennia ubicunque sis, instaures. Tot ora in Tuum præconium aperuisti, quot ex hoc volumine, velut e mari prælibabunt. Nec alteri ad lancem danda fuerat suada ista Divinior, quàm Tibi, qui verbis tribuis pretium: ut quæquæ à Te audire contingat, velut è Tripode audita oracula credi debeant. Zelum Tuum in rostris Divinioribus si quæreremus, ipsi parietes responderent, docerent Aræ, altaria enarrarent. Interea homines non percontamur, quos à Tuo pendere ore plusquam certum: legionibus illos integris ad Tuam traxisti suadam, prodigiosior Cyneas Vrbes Regias Tuæ mancipes eloquentiæ effecisti. Nec Tu tantum audiri exambis, audire quoquè repentes ad Aulam* PRINCIPIS *inopias miserorum invitatus es; ita illos mansuetiore vultu excipis, ut se satis solatij putent retulisse, si mitius, ut assoles, alloquaris. Aures aliis esse in pedibus tam crebrò contigit, quàm Tibi rarum, cum malis penes cor auritus esse, ut statim, ac rogaris,* AUDITOR INTEGERRIMUS *assessum præbeas. Quinimo anticipas vota supplicantium, quasi Tuâ, de jure interesset, omnium accommodari mentibus, impendi omnibus. Gemmas alij ex auribus pendere jactant, Tu candorem in excubias aurium Tuarum elegisti. O! Regno suppares ejusmodi uniones,* MICHAELI EMINENTISSIMO *non Antonio propinãdos. Sint suo Midæ aureo aures Asininæ, quas non nisi aureis ser-*

monibus inclinent, Tu inopum linguæ preces pretiosiùs recipis, ipsoq; Tito pretiosior, diei dispendium deploras, si illam non beneficæ manûs calculo Tibi annotes. Æquitatem verò Tuam, *ipsa Themis, sibi vendicat: ita enim in trutinam revocas causas rerum, ut nulla earum ab altiore Tuo scrutinio, quamvis sibi adversentur, non ad justitiæ leges se recensitam glorietur. Itaque nunquam ab Astrææ Tuæ lance redit aliquis non contentus; cuiq; triumphare necesse incumbit, quem Tu judicas, decernisq;. Tot Tiaræ Tuo capite nitebantur, à Tuis pendebant judiciis, vel exinde summè gavisæ, quod à Tuis. Desponsati justitiæ videbantur sacri tot Episcoporum annuli, quibus spiritualium verè Iudex, in veritatis spiritu decreta sigillasti. Et quia ad Cardinales virtutes enutritus es, ad latus* EMINENTISSIMI *esse debuisti, nè, quidquid in* Te *est, non penes* CELSISSIMA, *non* EMINENTISSIMA *penes, fulgeat. Quodque altissimæ dotes* Tuæ, *omnium suffragia post se trahant, Regalia* GNESNÆ *lilia coronarunt. Nunquam illa magis illustres insigniverant Equites Liliatos: quam cum candidum tuum adornant pectus. Quanquam & Gentilitiæ Alberti rosæ, æmulâ florendi pulchritudine* Tecum *certant, aut verius habent in te sui aliquid: cùm in vultu* Tuo *verecundo se conspiciant, & in fronte* Tua *modestissima se sibi conferant. Cum omnia ante alios debentur* Tibi; ARCHIDIACONI LOVICIENSIS MUNUS *gesturus eras,*

ne

nè, quidquid Tuæ *meruêre virtutes, & merita, supra* Te *esset. Quanta superis inde accessio! quantus templorum ordo! decor quantus! quæ ad ipsam Nominis* Tui *famam, se componunt tempestivius, nè, cùm visenda perlustras, non venustioris formæ compareant coram Gratia,* IOANNE *scilicet. Æmulantur se æquo nitore Basilicæ,* Tuis *subjectæ legibus, ejusque regimini subdi gaudent; qui tanquam animam, ordinem rerum, inspires, vivamque tui imaginem latè circumferas. Vt autem assoles, veritatis* PROPUGNATOR *egregius, pro qua tot adversorum fulmina excepisti, nunquã sine palma redis. Ita verò persuades, ut jam* te *non audisse mallent, aliquando osores æquitatis; quàm ut pulchra animorum spolia de illis referres. Nunquam enim non persuasi à* Te *abeunt, vero verius autumantes, quidquid edisseris. Conquerimur sæpe, quòd nemo sit veritatis assertor coram Magnis, tu concilias querelas, & exulem alias ab aulis veritatem introducis. Nosti quoq; eam optimè ut Philosophus, ponderas æquâ lance ut Iurisperitus, fide comprobas ut Theologus. Iactat hactenus Peripatus nostra* Tuas *laureas, quas tulisti: gemmam se peperisse non unam prænobilem Euripus gloriatur, Tiaris Principum inserendam, quam Tu sudasti Cleanthes accuratior. Quid si penetremus in Augustal mentis* Tuæ, *Areopagum ibi reperiremus; non unius Iustiniani codicem legeremus, raram Canonici juris*

venera-

veneraremur majestatem. Tanta erant rationum Tua*rum pondera, tantum pretium, ut auream* EMINENTISSIMI MICHAELIS *lancem intrare deberent, nè non legitimè librarentur. Enimverò nemo satis decreta* Tua *integerrima poterat æstimare, si non* ANGELUS *testamenti. Nemo* Tibi *tantam gloriæ Colchidem accersivit, quàm ubi legum* Tua*rum Codicem Gentilitius Principis Agnus aperuit. Ita nimirum vita* Tua *innoxia, ut etiam transigere illam nequeas alibi, quàm penes* CELSISSIMI AGNI *innocentiam. Prælucet* Tibi ILLUSSRISSIMUM SIDUS *istud, Affine* SERENISSIMO SARMATARUM SOLI, *prælucet inquã, ad sacri Areopagi noctes, ut, etiamsi velles (quòd Tibi nũquã accidit) non cernere veritatẽ, haud posses. Quis non asseret illibata vota* Tua, *quæ, utpote Os Principis integerrimi loqueris pro æquitate. Sed vendicat* Te *sibi quoque, sol Aquinaticus, cujus Zodiaco insertus es; vitam lacteam ille se putabat decurrere, dum* Tuas *audiret Theses, die clariùs defensas à* Te, *suaviùs propugnatas. Ibas tutissimus, quia medio, mediam ibi edoctus scientiam, ubi Ignatianus præit ignis. Quidni enim illã disceres, in cujus mentem Oceanus Augustini fundi poterat. Norunt illi, quos Aris admovendos, in rigidius vocabas scrutinium; & in quem dedisti calculum, profectò diei Candidæ Mysta est. Hoc in* Te, *cum miretur attẽtiùs, hospes in domo* Tua *sacer Tullius, ultrò exambit, ante* Te *objurgare vitia, ut melius ad*

Tuas *virtutes splendidissimas elucescant. Mitior tamen illi Toga, etsi armatam linguam gerit, quia de vellere Karnkoviano; Toties* Tui *Nominis præconem pro rostris aget, quoties in scelera detonabit. Aperi igitur has* PHILIPPICAS. *quæcunq; earum Divina est, omnemq; sibi Tullianarum vendicat gloriam. Tot prædas animorum collige, quot à sacris Oratoribus his armis subigentur. Nullam* Tu *quidem mereris* PHILIPPICAM, *nullam innocentes dotes* Tuæ, *alios tamen objurgare,* Te *coram patiaris, ut ilicò, ac invectum fuerit in illos,* Tu *decernas. Tolle, lege, quidquid hic objurgatum,* Tuæ *immolatur gloriæ, quidquid ferventior aliquantò spiritus intonuit, in* Tuæ *famæ classicum efformamus. Servent* Te *Superi, Nos verò,* Tuæ *præcones fortunæ Dies Dominicos ævo præmittimus, quod* Te *manet; injungimus æternitati ipsi, ut* Te *tot ornatum meritis post sera lustra dignius eloquatur.*

Ita vovet

PERILLUSTRI ac REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONI VESTRÆ

Devotissimum Collegium
Karnkovianum Societatis IESU.



PHILIPPICA I.

In Peccatores inveteratos.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Reſpicite, & levate capita veſtra. Luc. 21. v. 28.

PEccatores profundo flagitiorum ſomno immerſos, ſepultoſq; excitare ad ſeriam pœnitudinem, verâmq; animæ vitam ſatagit Sancta Mater Ecclesia in hac prima Adventûs Sacri Dominica, dum in Epiſtola Miſſæ, Pauli ore intonat: *hora eſt, iam nos de ſomno ſurgere.* Rom. 13. v. 11. imò ipſummet vivorum ac mortuorum inducit judicem ità monentem: *reſpicite, & levate capita veſtra*, ſurgite, qui dormitis, & exurgite à mortuis, nè æternam in noctem mortemque, irata Nemeſis vos deturbet. Vſquequo peccatores gravi corde divinâ abutemini clementiâ? graviſſimoque flagitiorum ſopore ſepulti, divinas inſpirationes ducetis pro ſomnio? imminentem iudicis ſupremi iram, pro fabula & joco? æternatura ſupplicia pro deliramento? quin aliquando tandem ad vocem evocantis judicis, ad ſonitum cōminantis ætheris, ad fragorem pereuntis univerſi *reſpicite, & levate capita veſtra* & præparate corda veſtra, ut adveniens Iudex ſtantes, non jacentes; vigilantes, non dormientes; paratos, non deſperatos inveniat, ac pronuntiet beatos.

§. 1. *Ad pœnitentiam excitat Ecclesia.*

Quàm vereor, nè ſoporifero complures Auditores mei infecti veneno ſtertant ſui ſecuri in utramque autem, præſentibus intenti, futurorū incurij, ideòque æterno exitio proximi.

§. 2. *Veneno Aſpidis intoxicantur peccatores.*

ximi. Necat intempestivus sopor, fallit quies, extingvit securitas, ea præsertim, quæ de salute animæ concipitur. Aspidis surdæ tabo intoxicati non sentiunt se mori, non curant interire, non timent æternùm conflagrare. Aspis enim teste Plinio venenum instillat homini quem momorderit, ut is in somnum prolapsus non ampliùs evigilet. Aspidem agit voluptas, quæ dulci veneno inducit oblivionem Dei, & lethalem animæ somnum conciliat. Aptissimè Hugo Cardinalis in illa Psaltis verba: super aspidem & basiliscum: *Aspis est somnifera, quia quem momorderit, vadit ad interitum. Delectatio intelligitur per aspidem, quæ dormire facit, & dormiendo mori.* O si super hanc aspidem innoxio pede ambulare liceat! & dulce lethiferæ voluptatis venenum cauto castòque calle conculcare. *Expergiscimini ebrii*, Vino vitiorum, somnòque sepulti, *flete & ululate omnes, qui bibitis vinum*, imo venenum aspidis *in dulcedine*. Venenato hoc vino ebrius fuit Monachus ille, de quo oculatus testis B. Petrus Damiani: In Perusino monasterio Sancti Salvatoris, cui nuper & ipse præfui, Monachus paulò antè fuerat nomine Guzino astutus nimis, sæcularibus contentionibus vehementer intentus. Hic dum & immutandis Abbatibus, & Fratribus perturbandis æstuans non quiesceret, ad hoc usque pervenit, ut diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret, ejus ditioni etiam se corporaliter manciparet. Cui tamen seductor Spiritus antè promisit, quód tertiò die, priusquam moreretur, suũ exitũ sibi nunciaret. Credidit infelix, & diu postmodũ vivens ità sub hac deceptoria securitate permansit. Tandẽ in ægritudinem lapso adfuit seductor, & futurũ sicut spoponderat abitum nunciavit. Protinùs ille advocatis fratribus, quæ cum nequissimo pepigerat spiritu, per ordinem recenset. Cùmque illi instarent, ut ageret pœnitentiam, confiteretur, Deum placaret, repentè ipse labebatur in somnum, ut nec pulsu, nec clamoribus excitari posset. illis verò conticescentibus, & alia diversa, quæ

Plin. L. 21. c. 31.

Joel. 1. 5.

Damianus tom. 3. biblioth. PP.

hæq pœnitentiam non concernerent loquentibus, expergefactus respondebat Sed insensibili correptus sopore, mox iterum audito pœnitentiæ nomine obrigescebat, donec horrendæ morti traditus, in ejus devenit potestatem, cui se pridem devoverat. Id ex eo manifestum fuit, quòd per plures noctes nigra canum turba non cessârit ejus sepulturæ assistere, & quasi depositum custodire. O Religiosum ter miserrimum cui nihil proderit *Religiosi* nomen præsetulisse, nisi ut inde judicetur severiùs, damnetur profundiùs, excrucietur immaniùs. ò Somnum pestilentem! ò inducias insanas! ò surditatem exitialem! ò plusquam lethalem gratiarum divinarum abusum!

Multos sibi infelix iste homuncio persimiles habet, qui ad omnem excitantis gratiæ sonitum surdi, operari bonum dum tempus habent, negligunt, tempus non habituri, cùm fortasse volent operari, fatuarum more virginum, quæ dormitaverunt omnes & dormiêrunt somnum impœnitentiæ, mediâ autem nocte, intempestivo prorsùs tempore, cùm clamor fieret *ecce Sponsus venit, exite!* serò nimis venerunt ad nuptias, nec spatium pœnitentiæ invenerunt. *Illud, illud cavere debemus* (monet in psalm. 62. Hipponensis orator) *ne ipsa anima nostra dormiat. malus est animæ somnus, somnus animæ est oblivisci Deum suum*, atque ad omnem clamantis Verbi vocem obsurdescere. Vt Cyrum Regem, cœlestibus quidem cumulatum favoribus, obduratum tamen flagitijs excitaret Deus, hæc Isaiæ ore inclamavit: *hæc dicit Dominus Christo meo Cyro: vocavi te nomine tuo, assimiliavi te, & non cognovisti me.* Isai. 45. v. 4. surdâ aure præterivit Cyrus, inquit Rupertus: quia dæmonium surdum in aure habebat, ex quo plerique peccatores laborant, ut audire verbum Domini, vel auditum intelligere non sinantur. *Surdum dicitur dæmonium*, ait Titus Bostrensis in c. 11. Luc. *quòd hanc ingerat passionem, ut non audiatur divinum verbum: nam dæmones auferentes aptitudinem humani af-*

§. 3. Ingens peccatoris surditas

fectus, obtundunt anima nostra auditum. Excusabat se Moyses ab egregio concionatoris aulici ad Pharaonem munere ob vocis suæ gracilitatem: *Obsecro Domine, non sum eloquens, impeditioris & tardioris lingua sum.* Exod. 4. v. 10. Qui enim Regi loqui debebat, ait Dionysius Carthusianus, & de arduis causis, indigebat voce tubali. Cur vox tenera non sufficit? Quia noverat Moyses ad obstinatos peccatores sibi esse loquendum, quibus profundâ surditate ità aures obtusæ, ut neque voces validas exaudiant; quare nè surdo fabula caneretur, & officio suo Prophetes non responderet, vocis suæ tenuitatem prætendit, impetravitque in viæ comitem, & verbi ducem Aaronem, qui voce velut tubali clangeret, & aures regias penetraret. Surdi sunt peccatores, quia surdo dæmonio insessi, & veneno aspidum intoxicati ut vocem Domini non audiant. Simulacrum peccatoris exhibuit Lazarus in quatriduano fœtidus sepulchro, ex quo vitæ auctor evocaturus miserum, *voce magnâ clamavit: Lazare veni foras.* Joannis 11. v. 43 cur clamorem Jesus intendit, cujus vocem in plateis non audiendam vates Evangelicus prædixit? violentiâne opus, ut Lazarus extrahatur de sepulchro? an sepulchralis fossa renuit reddere depositum, nisi voce grandi mors deterreatur à spolio? nimirùm mors consenuit, & gravioris jam est auditûs; imò insensatus peccator ita induruit, ut insolito opus sit clamore. Validissimâ voce Verbum utitur, ut doceat amissum à peccatore esse auditum, faciliùsque esse, ut insensibilia vocem exhortationis audiant, sicut vocem Josue sol audivit, voci Eliæ cælum obediît, voci Salvatoris venti & maria paruêre, quàm ut peccator divinam exaudiat vocem, convertatur & vivat.

Dionysius Carthus: apud Pudislec in Habacuc. pag. 365.

Jeroboamum protoregem Jsraëlis, fiscalem nuper Salomonis, postea rebellem ac exulem, nunc verò sacrilegum apostatam, ut ad mentem Deus reduceret, prohpetam Addo submisit, qui sacrificulo Regi exitium intimaret, & impietatis

tis

tis novæ interitum (qui trecentis quinquaginta pòst ànnis accidit) prædicaret. Erexerat pseudopoliticus Rex duo delubra, alterum in urbe limitanea regni Dan Aquilonem versùs; alterum in Bethel, quod austrum spectabat; in iisque duos aureos vitulos sub nomine *Apis & Serapidis* (more Ægyptiorum, apud quos biennio exul) adorandos populo proposuerat. Contra hanc impietatem jussus exclamare propheta, vocem non in Regem, sed aram intendit: *exclamavit contra altare in sermone Domini, & ait: altare, altare!* 3. Reg. 13. v. 1. Cur altare increpat, cujus culpa fuit nulla, sed Regis sacrilegi hæc fuit impietas? cur palam Rex non reprehenditur, qui propalàm deliquit? metusne ac vitæ inordinatus amor ora vatis conclusit? Non metus, sed ingenium prophetæ hic emicuit; quia enim duriorem lapide noverat esse Regis animum, & quovis marmore surdiores adstantium aures, rectè lapides potiùs, quàm homines allocutus est, quia præ his illos vocem clamantis noverat audituros. Altare enim, ut vocem excepit, in medio scissum est, & cùm fundere lacrymas non posset, cineres effudit, quos surdorum auribus inferendos suggerebat, ut & ipsi divinam vocem admitterent. *ait: altàre, altare,* inquit Dionysius Carthusianus, *non quòd altare potuerit verba intelligere, vel audire, sed propter astantes ad altare verbum direxit, ut ipsi adverterent.* at non adverterunt lapidibus omnibus duriores, æternæque reprobationis calculo, vel ipsorum judicio lapidum ter dignissimi. Scripserat Deus legem suam in tabulis lapideis; prænoverat enim judæos omni marmore fore duriores, de quibus Jeremias in persona Dei longè antè lacrymabatur: *induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti: ideo inducam super eos mala, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos.* Nihil de Deo audire, nihil scire & intelligere vult peccator; nihil vicissim de absurdo homuncione scire, nihil laudum & obsequiorum ab eodem acceptare Deus dignatur.

Jerem. 5. 5. 3.

§. 4. *Peccator bestiis deterior.*

Elegans est observatio Chrysostomi, homilia de presbyteratu suo, cur Psaltes invitans ad laudem Dei universas creaturas peccatorem prætereat: *laudate Dominum de cœlis.* in cœlis cùm pecator non sit, sub hoc titulo nequaquam comprehenditur: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum* nulla in his mentio peccatoris; quia scilicet non facit verbum Dei, sicut enumeratæ creaturæ, *quæ faciunt verbum eius.* Cur ergo ranas potiùs, formicas ad laudem Dei evocas ò divine Psaltes, quám peccatorem? respondentem audio; quia formica perpetuo occupata labore, Deo gratior est quam otiosus peccator; rana in suo lacu coaxans Deo gratior est quám blasphemus peccator; musca unâ aquæ guttulâ contenta, Deo gratior est, quam helluo peccator; scorpio non mordet nisi irritatus, peccator Deum hominesque pungit, etsi non nisi beneficia acceperit; Lupus non nisi fame urgente vitæ necessaria rapit, peccator etiam superflua; ursus cadavera non invadit, peccator nè mortuis parcit; Leo prostratis ignoscit, peccator conterit. Exclamat proinde Chrysostomus: *mala bestia peccator est, ideoque peccatorem è sacra pagina abegit propheta, ac ultra fines & pomæria submovit.* Quæ cùm dixisset, conticuit Chrysostom', atque ingemuit; ac tandem sic prosecutus est: haud frustra, neque temere, dum hæc loquor intersilui, quid enim miserabilius! parum est, peccatorem vocari *canem* Js. 46. *equum* Jerem. 5. *Leopardum* Oseæ 13. *jumentum* ob stoliditatem, psal. 15. omnibus bestijs postponitur, dum à laudibus Dei excluditur; vel certè ideo ad laudes non invitatur, quia frustrá adhortationes omnes fore prævidetur, vel laudari à peccatore DEVS non curat, quo vilissimis sordibus se postpositum fuisse meminit. Nihil de Deo scire peccator voluit, nihil vicissim de peccatore scire vult Deus. Audiatur Chrysostomus homil. 19 in Matth. *peccatores nescit Deus, non quia non cognoscat, sed quia suos illos non cognoscit.*

Ingens

§. 5. *Deum habere hostem, quã terribile sit.*

Jngens omninò hæc est peccatorum insensatio, quòd Deum tàm vilipendant, ut vilioris eum facere non possint: quid sunt hodie perjuria & blasphemiæ àpud Christianos? proverbia & interiectiones. quid lasciviæ & infames libidines? civilitates & amœnitates. quid detractiones & murmura? Joci & oblectationes. quid vindictæ & cædes? inclytæ generositates. sciunt peccatores, quovis se peccato mortifero Deum perdere, & in Deo omnia; nec tamen pensi habent, sed cum Henrico VIII. Anglorum Rege apostata, scyphum manu tenent bibituri Numinis iram, & scientes volentesq; exclamant: *amici omnia perdidimus.* perdidimus gratiam thesauris omnibus potiorem, perdidimus pignus gloriæ, decorem animæ, pacem conscientiæ; perdidimus veram formam hominum ad similitudinem Dei conditorum, fraternitatem Angelorum, filiationem Patris, hæreditatem Filij, charismata spiritûs Sancti, & tamen iniquitatem sicut aquam bibimus, cachinnamur, tripudiamus. Demus tamen per peccatum non claudi paradisum, nec aperiri infernum, non obscurari lumen intellectûs, non enervari vires corporis, nullùmque aliud inde emanare incommodum, quàm quòd Deus hostis tuus factus sit; hoc, hoc unũ sufficit, ut horrescant capilli, contremiscant artus, attonetur animus, lapidescat affectus, totusque momento abeas in monstrum. Ergòne Deus hostis tuus sit? ille Deus, cuius terram calcas; cuius aërem hauris; cuius igne foveris; cuius aquâ humectaris; cuius sunt Angeli, qui te custodiunt; cuius sunt feræ, quæ tibi inserviunt? ergòne hostis tuus sit ille Deus? qui nullum habet nævum quo maculetur; nullum ævum, quo terminetur; nullum locum, quo circumscribatur; ille Deus! cuius cognitio est tua vita; cuius gratia est unica tua felicitas; cujus fruitio tua est gloria? ille Deus hostis tuus, quo non existente, tu non esses, quo favente nulla posset esse vis, quæ te posterneret; nulla infamia, quæ te confunderet, nulla penuria, quæ te af-

 flige-

fligeret; nulla tempeſtas, quæ te mergeret; nulla creatura, quæ te inquietaret; Ille Deus! qui ſi velit te perdere, nihil eſt, quod te conſervet; ſi velit te affligere, nihil eſt, quod te recreet; ſi velit te dedecorare, nihil eſt, quod te honeſtet, ſi velit te extorrem, nihil eſt, quod te admittat. Ille Deus! à quo in omni perplexitate haberes conſilium; in morbis remedium; in paupertate alimentum; in perſecutione aſylum? ille Deus, contra quem nulla valet ingenij ſubtilitas ad præcavenda pericula; nulla ſecuritas ad evadenda adverſa; nulla poteſtas admitiganda ſupplicia? ille Deus! principium tuum & finis, merces & hæreditas, Pater & Judex. Ille tuus hoſtis! quâ fronte & conſcientiâ ſperes terræ fructus, cùm tuus hoſtis ſit ille, cui ſerviunt ſtellæ, quæ ſemina fovent; ros, qui ſemina lactat; pluviæ, quæ prata irrigant; aura ſerena, quæ meſſem maturat? quo cerebro ſperes ſubtile ingenium, maturum judicium, tenacem memoriam, ſi ille hoſtis tuus ſit, qui ſolus eſt ſcientiarum Dominus? quo titulo ſperes ſanitatem, ſi ille tuus ſit hoſtis, qui aërem purgat, aquas ſanat, humores temperat, vitæ dominatur & morti? Conclamatum contra te eſt à creaturis omnibus: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* pſal. 70. v. 11. Contabeſcunt filij huius ſæculi, cùm audiunt potentem quempiam Principem implacabiliter ſibi offenſum (ſicut contabuêre tres illi Grandes Hiſpaniæ, qui, quòd à Philippo III. propter procacem in templo garritionẽ audiſſent: *non placetis nobis*, alter extemplò in amentiam perpetuam incidit, alter intra horas pauculas funus fuit, alter ſenſim contabeſcens vix aliud poſthac in ore habuit, quam triſte verbũ: *nondum in gratiam redii?* Quin & pauciſſimis ab hinc annis aulæ eiuſdem Miniſter primarius & Regis Catholici filius nâturalis, cum audiſſet, in auguſtiſſimæ Maieſtatis diſgratiam ſeſe incurriſſe, neque epiſtolam ſuam benigno obtutu reſpectam fuiſſe, tanto mœrore obrutus eſt, ut paulo poſt

triſtem

triſtem egerit animam) ſi inquam contabeſcunt filij huius ſæculi ob terreni principis gratiam deperditam, proh quanto nos dolore, mærore, tremore obrui neceſſe foret, ſi ſeriâ conſideratione triverbium iſtud expenderemus: *Dei hoſtis ſum.* at non dolemus, non mœremus, non movemur, quia marmora ſummus, omnibusque marmoribus duriores.

O ſi vox mea, vox eſſet virtutis, ut ex his lapidibus ſuſcitare poſſem filios Abrahæ, ex his marmoribus fabricare ſtatuas Memnonis, quibus ad ortum ſolis ora ad planctum pœnitentiæ, inque laudes divinæ miſericordiæ, & ſerium ſalutis deſiderium revolverentur. Domantur ferro & igne marmora, cavantur aquarum guttis lapides, adamas ipſe ſangvini cedit, & non cedent peccatores ſangvini & lacrymis benigniſſimi Jeſu! imò ferro & igni vindicis juſtitiæ in exitium peccatorum ſemper armatæ? Narrant hiſtoriæ (ingenioſum interpretor figmentum) Regem fuiſſe qui rideret nunquam, dormiret parùm, comederet minimùm, palleret ſemper & paveret. Cui cùm ignaviam exprobraret conſiliariorum intimus & cognatione germanus, ſequentem in modum, à Rege vigiliarum pavorisq; cauſam edoctus eſt; ſedere die poſterâ conſiliarium ſuum Rex fecit in ſella fragili ſuper puteum ignitis carbonibus plenum, conſtituitque ſatellites quatuor ex omni latere ſtrictis gladijs irruentes, impendebat inſuper capiti gladius acutiſſimus, qui à tenui dependebat filo; ad hæc in vicinia rauco clangore tubæ inſonabant, quaſi Martem ad prælia animarent. hic Conſiliarium ſuum Rex jucundum jubet eſſe, epulari, Symphoniacis delectari, genio indulgere, aut ſi mallet indormiſcere. at contra pavidus hoſpes palleſcere, ingemiſcere, obteſtari cœpit, liberum ſe quantocyùs eſſe liceret, non enim hìc locum eſſe lætitiæ ac quietis; cui Rex: an vigiliarum tu iam mearum cauſam aſſequeris? thronus meus etſi regius ſit, hâc tamen ſellâ fragilior eſt, infernè verò immane patet barathrum, in quod quovis momento

§. 6. *Vitum ſimulacrum peccatoris.*

Spec. exempl. diſt. 9. exempl. 209.

mento

mento possum incidere; impendet capiti gladius divinæ justitiæ certò certiùs in caput hoc vibrandus, cum primùm tenue vitæ filum abruptum fuerit. ante me mortem aspicio, quam evadere non valeo; à tergo peccata mea contemplor, quæ nunquam non conscientiam lancinant; stant à finistris dæmones, qui noctù & interdiù exitium meum moliuntur; à dextris boni Angeli gladios ancipites minantur ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad hæc feralis tuba auribus meis fatalem lessum insonat, atque ad tribunal justitiæ invocat Quâ ergo fronte, quo ore, quo pectore lætitiæ & jocis vacabo, cum tam seriò res agatur? dixit, & consiliarium suum sanioribus instructum consilijs dimisit. O peccatores ad hoc spectaculum *respicite & levate capita vestra*, impendentem justitiæ gladium timete, quia animam à corpore, corpus ab omnibus charis, vos totos à Deo, á cœlo, à beata æternitate dividet. mortem prospicite, quæ supremas minatur arenulas & fatalem intentat ictum. videte apertum infra pedes vestros barathrum, in quo tormenta immania, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit. An non projecta post tergum peccata continuò vos inquietant pungunt, vellicant, laniant & lancinant? si quis tamen adhuc in vobis sensus est, an non dextrorsùm boni Angeli flammeos intentant gladios, quibus grandes illas Regi immortali a vobis illatas injurias ulciscantur? an non jurati in exitium vestrum tenebrarum principes ad præcipitium vos sinè mora impellunt? *respicite & levate capita vestra*, quia manus Omnipotentis nec vivi, nec mortui effugietis. Quanta vestra erit confusio ac trepidatio, cùm liberati de corpore mortis huius grandissima vestra spectabilis flagitia, nec tamen credetis fieri potuisse. Credite Eusebio Gallicano asseveranti, animam cùm primùm è tempore in æternitatem concesserit, ante omnia stupere, quomodo talem ac tantum Deum pro re nihili offendere potuerit, & exclamare: ubi estis concupiscentiæ? ubi estis illecebræ? ergone

Eusebius apud Iuglarē Conc. 27. quadr. num. 3.

gone ad horam mihi momentaneas & fugitivas ingessistis delectationes, ut æternas postmodùm inferrent angustias? nimirum quamdiu in corpore degit peccator, non nisi bona & mala corporea sentit, ideoque de amisso brachio dolet, de peccato admisso gaudet (ùt observavit Aristoteles lib. 2. Rhetor:) damna spiritualia, cùm sub sensum non cadant, nihili ducit; Certè si primopatrato scelere minueretur peccator digito, pro altera noxa truncaretur naso pro tertia privaretur oculo, & post quodlibet peccatum membro aliquo corporeo destitueretur, quam citò purus sceleris & vitæ integer foret; cum verò Deum & animam perdit, damnum non sentit, quia sensum perdidit. at erit tempus, quando apertis mentis oculis immania damna, quæ in caput suum peccando accersivit, videbit & irascetur, trepidabit, dentibus suis fremet & tabescet. Contra quod tabum respicite peccatores, dum potestis & resipiscite; levate capita & corda vestra ad patrem misericordiæ, ne in fulmineas severæ justitiæ manus, in lamentationes & væ æternum incidatis.

PHILIPPICA II.

In Luxuriosos.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Ioannes in vinculis. Matth. 11. v. 2.

NEmo diu inquirat, cur in vinculis hæreat Ioannes. *Philippicam* pro Philippo Herodis fratre in raptorem adulterum dixit, uxorem legitimo restituendam marito monuit, libidinem regiam acriter perstrinxit, hinc ad vincula cœlestis præco rapitur, constringitur, captivatur, & divini libertatem oris squalore carceris, imò diminutione capi-

§. 1. Ob reprehensam luxuriam multi vinculis & morti addicti.

capitis lucere jubetur. Ergo impunita Regis luxuria vincula injecit præcursori? ita est. damnatur ad compedes castissimus Ioseph á luxuria adulteræ; adducitur in supremum vitæ discrimen liliata Susannæ integritas à luxuriâ inveteratorum nequitiæ; Ioannes pariter ab impijssima Herodis luxuria in vincula compingitur. O luxuria hostis gratiæ, persecutrix veritatis, innocentiæ tyrannis! heu quot præcones veritatis, quia liberé pro castitate dixerunt, & Ioanneum illud: *non licet* repetierunt, vinculis & feræ morti sunt addicti. Sic Kilianus Franconum Apostolus á Gosberto Herbipolensium Duce; Sic Stanislaus Cracoviensium præsul â Boleslao Polonorum Rege; Sic Ioannes Fischerus Angliæ Episcopus & Cardinalis ab Henrico VIII. interiit; Sic nuper in aula Madritensi (quod ipsemet Rex Catholicus Philippus IV. veritatis conscius publicâsse fertur) concionator nobilis ab impio præsule, cujus notoriam libidinem sæpiùs pro suggestu perstrinxerat, frustra in cubiculum cum effronti lupa compactus, ac genitalibus denique mutilatus, victima virginitatis cecidit, & Philippicarum suarum purpureum præmium reportavit. Quibus ego excitatus tragædiis, ac strepitu potissimùm Ioanneorum vinculorum commotus, omni virium contentione in luxuriosos philippicam hodie decrevi, cujus ut fructus sit uberior, Ioannis in vinculis suffragia, & propitij Jesu benedictionem imploro.

§. 2. *Luxuriosorum difficilis conversio.*

At, quid ego in luxuriosos sententiarum fulmina evoco? aut verborum flumina congrego? frustrà erit oratio, frustra comminatio, frustra labor omnis & sudor, non convertentur à vijs suis pessimis; sed quia in profundo sunt, contemnent, cælique minas pro ioco, gehennæ supplicia pro fabula, tragicas incæstuosorum catastrophes pro terriculamentis habebunt. Centum annis in luxuriam Noë detonuit, & cœli furores prædixit, & mundi exitium in arcæ fabrica effigiavit, quo tamen fructu? omninò nullo. faciliùs fuit bestias in argam congregare, quàm bestiales homines ad pænitudinem inducere.

Quæ unquam potentior ad persvadendum vox fuit, quàm vox clamantis? clamavit in adulteros Joannes, sed vox priùs faucibus hæsit, quam ad cor vecordes Rex & Regina redirent. Paulus eloquentiæ miraculum, & ùt loquitur Hieronymus ep. 61. ad Pammach? *Tuba Evangelii, rugitus leonis, tonitru gentium*, tam felix in persvadendo non fuit, ut Felicem præsidem converteret, allegârit licèt severissimum judicij diem & parata luxuriosis supplicia vivacissimè repræsentârit: *disputante autem illo* (Paulo) *de justitia & castitate, & de iudicio futuro tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade.* Act. 24. v. 25. Contremiscere Felix potuit, resipiscere tamen noluit, insanis Drusillæ suæ amoribus irretitus. Nimirùm: *Verbum sapiens audivit luxuriosus, displicebit illi & proyciet illud post tergum suum.* Eccl. 21. v. 18. Prodigus filius cùm peteret portionem substantiæ, non opposuit se Pater, nec severiùs verbum protulit, quia novit non tantum non corrigendum filium, sed deteriorem ab increpatione evasurum: *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationis in medio eorum.* Os. 5. v. 4. Vt ex Ægypto innumerabilis populus educeretur, suffecerunt duo fratres Moyses & Aaron; ut unicus Loth cum duabus filiabus & uxore Sodomâ educeretur, duorum Angelorum lacertis opus fuit, Genes. 19. vers. 16. *dissimulante illo apprehenderunt manus eius.* Per manus arripiendi sunt etiam innocentes, ut cum nocentibus non intereant. Invitetur ad pœnitentiam luxuriosus, idem reponet, quod neo uxoratus Lucæ 14. *non possum venire.* Voluptas carnis, ait S. Antonius Pad. ita detinet hominem, quòd nec ad delicias æternas venire desiderat; nec excusari curat.

Joann, 8. v. 8. Invenio Iesum digito scribentem in terra Sunt qui dicant descriptum á Salvatore sextum præceptum: *Non mœchaberis.* sed quare in pulvere? scripsit olim idem in lapide, fractus est lapis; scribit nunc in pulvere, ut indicet à modico tentationis vento præceptum hoc, acsi pulvis esset, dif-

difflari & vix observari, nisi cùm homo in pulverẽ revertitur.

§. 3. *Luxuriosus domicilium dæmonis.*

Nota est de Sirenibus fabula, quòd formâ & musicâ incantent viatores, ut & navis ipsa maneat immobilis, sopianturque navigantes marinis belluis in prædam. Ad has Isaias allusit c. 13. *Sirenes in delubris voluptatis.* S. Hieronymus legit: *Dæmones in delubris voluptatis.* Domicilium dæmonis carnalis homo est, unde & immundum Paulus sathanæ tradidit 1. *cor:* 5. tanquam legitimo domicilium possessori. Si domicilium dæmonis luxuria est, ausim dicere, infernum esse domum meretricis; clamantem enim audio Psaltem: *Domine exaudisti ab inferno animam meam.* flebilis anima, inquit S. Petrus Damian: gehenna facta est, tartarus & infernus, in quo habitat diabolus, & concupiscentiarum ignis æstuare non cessat *lib. 2. ep. 5.* Samsonis in domum meretricis aditus significavit descensum Christi ad inferos, ut volunt Divi Gregorius & Augustinus; Et quomodo meretricia domus plena deliciarum, inferno pleno pœnarum comparatur? respondet præsul Hipponensis serm. 101. de temp. *Pro inferis ponitur domus meretricis, quia neminem repellit, omnes intrantes ad se trahit, quia ignem inferni habet domus meretricis.* Gehenna (quo nomine Salvator locum damnatorum appellavit) vallis erat amœna, in qua gentiles idolo Moloch, seu veneri, filios vivos inter concentus musicos cremabant, adeoque luxuriæ locus idem cum inferno est: utrumque enim vox *gehenna* significat, quia in valle luxuriæ, & in gehenna degere perinde est, utrobique abominatio & desolatio, utrobique insaturara malitia, quæ nunquam dicit: *sufficit.*

§. 4. *Propter luxuriam pauci salvantur.*

Gravissima est illa Hieronymi sententia: *De nullo peccato legitur Deus dixisse, quod pœnituit se fecisse hominem, nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit.* Vt verò paucæ animæ salvari possent, castitatis præsidio opus fuit, nam in ipsa arca, quòd docet D. Joannes Damascenus, separavit Deus Noë, & tres filios ab uxoribus, *ut cum castitate, pelagum & illud commune naufragium evitarent.*

Non

Non vanè ipsimet Machumetani somniant, ajuntque: A resurrecturis in die novissimo hominibus hanc primam vocem edendam: *Nessi, Nessi.* væ meæ impudicitiæ! væ meæ impudicitiæ! Certe maiorem hominum partem ideo damnandam, quod carni potiùs, quàm spiritui sit obsecuta, gravissimorum authorum est sententia. Eadem res, inquit Lauredanus, quæ implet mundum hominibus, ijsdem replet infernũ. sicut è contrario castitas cœlum replet; filij enim DEI non ex sangvinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex DEO nati sunt. *Demptis parvulis*, inquit S. Remigius in c. 1. Rom. *ex adultis pauci propter hoc vitium salvantur.* Plurimi abstinent vitijs ferè omnibus, non blasphemant, non pejerant, non imprecantur, non detrahunt, atque, ut Zacharias c. 7. v. 11 & 12. ait: *cor suum posuerunt ùt adamantem,* Sola carnis peccata flocci pendunt & ideo pereunt. Sunt, ùt dixi adamentes, sed adamantum more sangvinem hircinum admittunt, & dissolvuntur. *De adamante illud mirandum* ait Rupertus in cap. 7. Zachar. *quòd, cùm tanta sit duritia, solo perfusus sangvine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur. unde congrua similitudo est valde, quia cùm cordis indomabilis essent contra DEVM, mollissimi erant in omnem libidinum fluxum.* O quot passim tales adamentes, non DEI sed Asmodæi amantes, adamentes, inquam, sive sapientiam, sive fortitudinem, sive pietatem spectes, puta, Salomones, Samsones. Davides, sed quos hircinus fœdæ libidinis sangvis facilè emolliat.

§. 5. *Luxuria cur impietas calcanei vocetur*

Audiamus quid dicat de se David: *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.* ps. 48. v. 6. Per calcaneum Caietanus luxuriam intelligit, quia in planta pedis exurgit vena veneris. Vnde Achilles invulnerabilis prærerquam in planta pedis fuisse dicitur, quod soli carnali amori turpiter succubuerit. Quot Achilles cæterà fortissimi hic defecerunt! iniquitas calcanei circumdabit in die mala: quia peccata carnalia sic cingent stringentq; hominem, ut ad incitas redactura

sint,

ſint, nec excuſationi locus futurus. In alijs vitijs facilior eſt ſalus, at in luxuria penè deſperata; occurrunt enim in ſupremo agone illecebroſæ cogitationes, quibus immori ſolent inveterati malorum. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* In calcaneo hæc iniquitas reſidere dicitur, quia contemnitur, & quaſi peccatum viliſſimum conculcatur; at poſtquam mentita eſt iniquitas ſibi patratùmq; nefas circumdat pudore, timore, angore, mærore, amarore hominem, ut vix ſui compos ſit. Conculcat nimirum vitium hominem, à quo tempore conculcatum & contritum non fuit. *Iniquitas calcanei circumdabit me:* hoc enim peccato potiſſimùm conculcatur ſanguis Chriſti. ideòque ſerpens antiquus inſidiaturus calcaneo dicitur, ut in theandrici ſanguinis proculcationē peccatores inducat.

Vulcanū ajunt Homericæ fabulæ calcaneo arreptū ab Jove præcipitatùmque cælo, etſi Jovis eſſet filius, pedem fregiſſe. qui fabrū deinde & Deum ignis egit, ac Venerem matrimonio ſibi copulavit. Vulcanus iſte Lucifer eſt ob deformitatem ſuperbiæ cælo eiectus, omnium malorum faber, qui luxuriā in adjutorium ſimile ſibi, ad gignendos filios aſſumpſit, per quam peccatores multiplicat, & infernum titionibus, terrarum verò orbem ſceleribus omninò omnibus implet.

§. 6. In luxuria continentur omnia alia peccata.

Samaritanam meretriculam Veritas incarnata de incontinentiæ vitio, & ſexto contra ſextum præceptum marito arguebat; cùm illa dolore intimo tacta hydriam ad puteum reliquit, inque urbem advolans, Auditores ad omniſcium prophetam excivit: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci* Joan 4 v 29. Dixeràtne Chriſtus mulieri omnia totius vitæ facinora? ſolum luxuriæ ſcelus perſtrinxit, ſilentio preſſit cætera, & hoc eſt dicere omnia? *Vnum tantum dixit ei ſcortationis peccatum Chriſtus* (Chriſoſtomi oratio homil. de Samarit.) *& illa relictâ hydriâ cucurrit ad urbem dicens, Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* nimirùm

in uno

in uno laſciviæ ſcelere omnia alia crimina, veneficia, iræ, perjuria, rapinæ, blaſphemiæ continentur. Cùm adulteram abſolveret Dominus: *Noli*, ajebat, *ampliùs peccare.* Joann 8. nullum ſpecificè pèccatum nominans, ſed omnia univerſim cō plectens; ubi enim luxuria, ibi peccat. ſimul omnia. Et hæc cauſa eſt, cur, à Moyſe ſola allegetur carnîs corruptio, ob quam immundus mundus diluvio emundari debuit; atquè etiam ipſe Salvator interitui mundi cauſam immunditiæ adſcribat *Sicut factū eſt in diebꝰ Noē ità erit in diebus filij hominis. Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias; ſimiliter ſicut factum eſt in diebus Loth.* Luc:17 v.26 ſatìs eſt impudicitiā nominari, ut conſūmatiſſima intelligatur malitia *ex hoc malo opere.* ait iterùm Chryſoſtomus homil. 22. in Geneſ: *quaſi ex fonte quodam multa alia ſuboriebantur peccata; Nam ubi luxuria, veriſimile eſt, ibi & magnam injuſtitiam, & avaritiam, & innumera naſci mala.* *Gen. 6. v. 5.*

Quod ſcelus enormius eſſe poteſt, quàm idololatria atque atheiſmus; ad hæc tamen facillimè inducit luxuria, monente Paulo, *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodùm ſcriptum eſt ſedit populus manducare & bibere; & ſurrexerunt ludere. Neque fornicemur.* 1. Cor.10. 7. Idolatriæ fornicatio jungitur; quia altera ad alteram manuducit; laſcivis namquè affinis & proximus eſt atheiſmus, & omnis iniquitas. Vnde luxuriam Herodiadis & matris vocat Baſilius Seleucus *Atheam mulierum inſaniam.* Sapientiſſimè quærit Auguſtinus, quinam peccatores mortem Chriſto intulerint? & in luxurioſos definit; hi enim ſeſe jactitant: *Venite fruamur bonis, coronemus nos roſis, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra* Quid tandem fiet; quid parturient adverſùs Deum animi luxurantium? ſequitur mox: *Circumveniamus juſtum, morte turpiſſimâ condemnemus eum.* Ecce luxuriæ fructum, ecce Chriſticidij authores *à talibus*, inquit Auguſtinus: *ligatus, captus, interfectus eſt Dominus. Quis de coronis florentibus cruenta vincula formidaret? quis de ſuavibus poculis dolores ſæviſſimos prævideret? quis de mollibus pratis*

Sap. 2. v. 8.

Auguſtinus apud Baez tom. 1. l. 1 c. 7. §. 5.

 tam

tàm durum crucis lignum pranosceret? at nihil mirum ò Augustine! â luxuriosorum rosis prodire spinas in caput Christi, ex mellito calice emanare fel & absinthium, sputa & turpissima phlegmata in os Christi, ex mollibus pratis enasci duram Crucem in humeros Christi; nihil enim mollibus ejusmodi hominibus durius, nihil inhumanius, nihil monstrosius, efferatiùsque.

§. 7. Luxuriosus varijs bestijs similis.

Senec. l. de brevit vitæ c. 6.

Sint reliqua vitia detestabilia, aliquam tamen hominis speciem præseferunt; at vero luxuria hominem in homine destruit, & in viro virum absorbet. Acutè Seneca: *Licet avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniusta, vel bella, omnes isti viriliùs peccant: In ventrem, ac libidinem proiectorum, inhonesta labes est.* Hinc turpissimis æquiparantur bestijs, & à prima veritate hædi, porci, Canes appellantur. Hædi quidem propter vitæ immunditiem, inquit Lucas Burgensis in c. 25. Matt. & quia hircus præcipitijs gaudet; Porci verò ob cænum voluptatum, in quos ingrediendi dæmonibus libera fit facultas Matth. 8. v. 32; canes propter impudentiam, & reditum ad vomitum: *foris canes;* Quid? quòd non raró in belluinas transformati formas apparuerint, qui bestialem incontinentiam fuerant æmulati. Ingressus Massiliense templum Petrus Cottonus, religiosissimus Societatis nostræ Sacerdos, hominē vidit clericali habitu & pileo ornatum, facie tamen non hominis, sed bufonis horrendum. Quo spectaculo attonitus Cottonus vicinos interrogat, quid hoc monstri sit? respondent: Non monstrum, sed Sacerdotem optimum, & confessarium inprimìs clarum esse Ludovicum Goffredij nomine. alius nimirùm hominibus esse videbatur, & alius Deo erat. Conticuit tantisper Cottonus, & ab eventu veritatem expectatam didicit, cùm personatus iste Sacerdos dæmoni ipsi per signatam proprio cruore syngrapham mancipatus fœtentissimas spurcitias suas igne luit Aquis sextijs; Neque eluit, quia impœnitentem Spiritum ex ignibus in ignes evomuit, anno sæculi hujus

Theoph. Rei. in centur hist

unde-

Thomas Cant. tiprat. lib. 2. Apum. c. 30.

undecimo. Antiquius est, quod Author fide dignus suô accidisse ævo memorat. Equestris ordinis vir in Germania, cū patrato adulterio domum vesperi rediret, faciem Dæmonis præseferre visus est, ideòque à familia universa clamoribus, fugâ, & detestatione exceptus, pelitescere eâ nocte debuit, dum aurora illucesceret, sub quam ad Ecclesiam properavit, ut sceleris sui pœniteret; Cui cùm vaccæ, aliæque pecudes ad pascua eductæ occurrissent, mox diros dedêre mugitus & quasi fulmine conterritæ, quâ data via diffugerunt. Idem pastores, idem obuij omnes factitârunt. Sacerdos autem in ostio Ecclesiæ ad officium recitandum considens, ut adventantem conspexit, terrore nimio correptus, cruce se signavit, inque Ecclesiam proripuit ostio, firmiter concluso. Hîc nobilis in genua & faciem prociduus exclamavit: Miserere Sacerdos reverende, miserere miserrimi peccatoris; non sum, qui videor diabolus; sed abominabile, cuius me millies pœnitet, crimen meum, hâc me formâ induit. Quâ voce animosior factus Sacerdos, pœnitentem admisit, audiît, absolvit, & propriam rediîsse faciem conspexit. O luxuriosi! ô bufones! ò cacodæmones! si forma corporis exterior interiori imagini responderet, qualia in oculos nostros monstra quotidie incurrerent? & quid erit in æternitate. si permittente quandòque Numine adeò horrificæ contribulium vestrorum formæ apparuerunt in tempore?

§. 8. Tria exempla tragica.

Tob. 6. v. 17.

Nemo miretur, si quandòque inaudiat hunc vel illum luxuriæ cæno inquinatum Sathanæ in carnificinam traditum, & subitaneâ interemptum morte impiè obiîsse. Habet enim (ùt Archangelus Raphaël Tobiæ dixit) *habet dæmonium potestatem super eos*, quâ si non semper utatur, inque flagranti scelere Gerasenas hasce pecudes in stagnum sulphuris præcipites agat, propè à miraculo abest. Nec desunt exempla recentia, quibus docemur potestate suâ dæmonium in luxuriosos usum insigniter fuisse. dabo tria de plurimis.

Res

Res non adeò antiqua eſt, inquit Reeupitus, & ab oculato auritoque natrata teſte : juvenis nobilis ſceleri illi addictus, quod Moyſes appellat *crimen peſſimum* Gen. 38. v. 2. *& rem deteſtabilem* Gen. 93. v. 10. Job vero *nefas & iniquitatem maximam* c. 3. 31. 11. poſt multa continentiæ propoſita prolabebatur identidem, & ad vomitum atque volutabrum revertebatur. Fuit, cum cogitato ſcelere poſt multos conſcentiæ ſtimulos, denique manus dedit, ignarus fore illud ultimum, Patientiâ Dei ultra illum numerum minimè expectaturâ. Ergo ad conclave ſecretius ſe abripuit ad deteſtabile illud nefas patrandum, cum ecce reperit iſthic dæmonem truculentum, qui adoleſcentem furenter aggreſſus, faſciam è tibialibus momento ſolvit, collòque induit, atque è trabe cubiculi ſuſpenſo gulam ſtringit ac ſtrangulat. Relictum eſt in infelici trabe corpus á lictore tartareo, anima vero in æviternos carceres & ſtagna ſulphuris, ultriceſque flammas raptata, ubi in ſocietatem pœnarum ſocium culparum corpus præſtolatur. Interea in urbe celebri & utcunque diſſita dæmon ex energumeno edixit, præclarè eâ horâ rem à ſocio ſuo geſtam in tali urbe, tali platea, tali domo, cubiculo, cum juvene tali, rem ordine propalans adiecit: permiſſum eſſe dæmonem uti poteſtate ſuâ, quā habet ſuper eos, qui ut momentaneam capiant delectatiunculam, æternos non curant cruciatus; Angelum quoque tutelarem diſceſſiſſe ab impuro adoleſcente, atque ut miſerè ſtrangularetur impudens, copiam feciſſe. Inquiſitum ocyus in veritatem eſt, repertùſque è trabe adoleſcens carbone omni nigrior, & quovis cœno fœtidior. ò ſi hoc carbone multorum frontes dexteráſque ſignare liceret, inque ſigno Tau commonere : *Time tibi, quia Dæmonium habet poteſtatem in te.*

Recentius eſt, quod in nobiliſſimo Poloniæ regno nuper accidit : Canonicus & claritate ſangvinis, & opimis præditus Sacerdotijs ſpurciſſime in cœnoſis delicijs volutabatur. Die B. Stani-

Staniſlai noſtri, quæ eo anno in Dominicam inciderat, prædiū præpoſituræ ſuæ Brotenſis cum ſcorto petiît, genio per omnia indulſit, dimiſſiſque ad veſperam ad ſomnum famulis, ſolus cum lupa in conclavi hæſit. Sed ſolus diu non fuit; horrificæ enim variorum animalium voces exauditæ ſunt, quarum horrore perculſa lupa cubiculo ſe ſub neceſſitatis ſpecie proripuit, in quod horrenda monſtra, vaſtitate giganteâ, flammantibus oculis, fumantibus naribus irrupêre, omniáque inſano fragore, boatu, rugitu, ululatu compleverunt. Non potuit, non à famulis inconditus iſte exaudiri tumultus; At major fuit metus, quàm ut ſuccurrere Domino ſuo auderent. Vnus generoſior, cùm per portam intrare non poſſet, ſcalas feneſtris applicat, herum fruſtrâ in clamat, ac per effractam denique feneſtram irrumpens oſtium pandit, & animoſiorem aliquantulum familiam convocat. at ubi iam Dominus Canonicus? ſub lectica, capite intra imos pedes contrito in globùm convolutus, & ſangvine undequaque manans, triſte ſpectaculum & horridum cadaver fuit. Timeant in ſimilem globum convolvi, qui vitioſos circulos adamant, & conglobatis infandæ luxuriæ ſceleribus cœlum impetunt; timeant inquam, quia *Dæmonium habet poteſtatem ſuper eos.*

Circa anni 1643 finem non procul Bario in Apulia, ſceleratus Marchio virginem Deo devotam vitiavit invitam fruſtraque inclamantem, parceret Virginum Virgini, ſub cuius tutela eſſet, illi illi grandem irrogari iniuriam ; at blaſphemus ganeo; *quid mihi cum Deipara Virgine, idcirco me non pœnitebit.* Nondum ſacrilegam ſaturârat libidinem, & ecce ſtrangulatus á Dæmone egit animam, corpore perhonorificè in templo RR. PP. Capucinorum tumulato, qui quòd cauſam modumque necis ignorarent, varijs defuncto ſuffragijs ſuccurrere conabantur. Proximâ ab exequijs nocte religioſorum aliquis templum ingreſſus ſpectrum immane, informe, ignes ſupra defuncti tumulum deprehendit, exclamat, profugit ubi

verò

verò ex metu non nihil confirmatus eſt, ſuperiorem adit, & obedientiæ præceptum impetrat, quo redire & ſpectrum adjurare jubeatur. Accepto imperio animoſior redit, ſubſequente mox ſuperiore cum lectiſſimis aliquot ſocijs, ſpectrum adiurat, & ab hoc audit: eſſe ſe defuncti animam, æternum damnatam; cuius rei fidem fore, ſi nullnm corpus (quod dæmones iam aſportârant) compareret, ſed pro corpore intolerandus putor. Aperto itaque tumulo, loculus inanis apparuit; mephitis verò erupit tanta, ut ex ſtantibus complures ſemianimes corruerint. Loculus carbonum inſtar niger ac teter in ſterquilinium abjectus eſt; & ecce quatuor mox corvi affuêre, quibus præda fuit; diffringere enim loculum & fruſtratim devorare viſi ſunt. Pœnè optarem aliqua ex hoc ſarphago ſarmenta, quæ è collo ijs appenderem, qui non verentur pro cœnoſa libidine in poteſtatem dæmonum ſeſe dedere, ſimilèmque ſepulturam mereri.

O infelices orci victimæ, dæmoniorum mancipia, pabula gehennæ! verba me deficiunt, quibus miſerrimam veſtram, quam ſub poteſtate dæmonis ſentitis, ſervitutem ob oculos proponam, graviſſimaque, quæ capitibus veſtris jamjam imminent, irati Numinis ſupplicia obijciam. Nihil ergò apud vos virgineus JESU Chriſti ſangvis, quem toties proculcatis & conſpuitis; nihil illius vulnera, quæ toties renovatis; nihil acerbiſſima mors proficiunt; ut à tantilla voluptatula in acerbiſſimæ eius paſſionis gratiam abſtineatis? nihil torrentes cœleſtium voluptatum poſſunt, nè eoſdem pro unica belluinæ voluptatis ſtillula æternùm prodigatis? nihil æterna inferorum ſupplicia, ſulphurei lacus, igniti bufones, percutientes mallei, bis acuta romphæa; tormenta, tormenta, tormenta quæ oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit, nihil inquam in vobis efficiunt, ut ad hæc evadenda noxiam momenti unius voluptatulam reſpuatis, Nullàne corporis veſtri vos tangit miſeratio, cujus pulchritudinem luxu-

ria corrumpit, vires enervat, morbos congregat, mortem accelerat; nullàne animi ſubit cura? cujus acumen luxuria hebetat, memoriam extingvit, voluntatem depravat, rationem excœcat, animamque, ut Philoſophatur Origenes homil. 2. in pſ. 36. craſſeſcere facit, ut in carnem velut tranſeat *nihil eſt tam mortiferum ingeniis quâm luxuria*, inquit Seneca Rhetor. & Magnus Gregorius: ex luxuria gignitur mentis hebetudo, ita ut præcaligine denſa fumòq; per eos profanos ignes ſubvecto ingenium cœcutiat, lippiat, exoculetur. *parcamus corporibus*, exclamat S. Cyrillus Archiepiſcopus Hieroſolimitaneus catech. 12. *quæ lucere debent ſicut Sol; parvum enim eſt ad horam peccatum, longæva autem eſt ex eo & æterna verecundia.* Nihil inquam noviſſimi diei horror, pudor, mœror, nihil judicis implacabilis furor, nihil accuſantis conſcientiæ angor, nihil conclamantium dæmonum ſibilus vos movent, ut æternum maledictis voluptatibus ex hac hora dicatis vale, nè inter fœtentes adnumerati hircos aliquando audiatis: *ite maledicti!* proh millies milliésque maledicta voluptas, quæ corpus & animam perdis in gehennam, *Veniet profectò dies*, inquit Petrus Damiani, *veniet profectò dies, imò nox, quando libido iſta tua vertetur in picem, quâ ſe perpetuus ignis in tuis uiſceribus inextinguibiliter nutriat.* Edax flamma comburit (verba Gregorij) quos nunc carnalis delectatio polluit. *Mortales miſeri* (verba Cypriani) *vivent inter incendia, in proprio adipe frixa libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur.* Heu momentaneum & leve (verba Chriſoſtomi) delectationis veſtræ æternum ignis ac tormentorum pondus operatur. Digito ignem modicùm tangere horremus, inquit Caſſianus, & quomodò non formidamus in ignis rogum ligatis manibus & pedibus injici? gehennam cogitent, qui libidinis igne ardent, ſicus clavus clavum pellit (verba D. Iſidori) ita ſæpè recordatio ardoris gehennæ ardorē extingvit luxuriæ. itá fit, ut meminē porró in ſervitutē caro redigat, neminē in poteſtatē dæmonis luxuria cogat, nemo ſit in vinculis Joannes,

Damian. epiſt. 6-

S. Gregor lib. 9. mor.

S. Cypria. ſerm. de aſcen

S. Chryſoſtomus derepa. rat lapſ.

D. Iſidorus l. 2. c. 30. de ſummo bono.

PHILIPPICA III.

In Iactabundos.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Tu quis es? quid dicis de te ipso? Ioann. 1. v. 19. & 22.

Quid Deus, quid homo.

DIvinissima est illa doctrina, quam Divæ Catharinæ Senensi ab incarnata sapientia traditam scribit Surius 29. April: Si nosti filia, quis sum ego & quis tu, beata eris. ego sum, qui sum; tu es, quæ non es. Deus semper idem, homo *nunquam in eodem statu permanet*; Deus unus omnia, homo nihil: *substantia mea tanquam nihilum ante te*, Deus veritas homo inanitas, *universa vanitas omnis homo vivens*. Deus lux indeficiens, homo umbra declinans: *dies mei sicut umbra declinarunt*; homo fugit velut umbra; Deus verbum in æternùm permanens; homo vocula momento evanescens. Sapientissima proinde Joannis fuit ad quæstionem propositam: *tu quis es? quid dicis de teipso*? responsio: *non sum; non sum; non sum; ego vox*. utinàm hæc vox auribus & animis multorum hæreret, qui dũ ultra quàm oportet, volunt sapere, desipiunt; dum se ipsis majores esse ambiunt, non sunt qui sunt; & sunt, qui non sunt. Ingens rationalium creaturarum amentia, quòd sibi ipsis somnia & umbras fingant, dicántque de seipsis, quod nec sunt, nec futuri sunt. Princeps Angelicorũ Spirituum Lucifer quid dicis de teipso? *ero similis Altissimo*. imò eris, qui non es, ex Angelo pulcherrimo draco turpissimus in profundissimo gehennæ barathro. Tu quis es hominum Primicerie Adame, quid dicis de teipso? sicut dij scientes bonum & malum, imò ignorans teipsum, & nesciens, quòd nudus, quod cœcus, quòd miser sis ac miserandus. quid tu de te Nabuchodonosor? plus quàm homo; imò minus quàm homo, sed bos in cornibus fœnum

Iob. 14. v. 2.
Ps. 38. v. 6.
Eccl. 1. v. 14.
Psal. 101. v. 12.

num gerens. quid tu Alexander Macedo? Jovis filius, imò Philippi Spurius. ità fit, ut qui, qui non est, se jactitat esse, desinat esse qui est. Contra jactantiam itáque dicturus id unũ opto precòrque, ut jactent gloriosuli, audivisse se hodie, quid sint, & quid dicere debeant de seipsis.

§. 1. Iactabundus semper invenitur minus habens.

Nihil inanius nocentiùsq; est, quàm propria laus & jactantia, quæ certissimam cerebri cordisque prodit vacuitatẽ. nam sicut vas, quod vacuum est, majorem sonum ex pulsu reddit, unde lemma; *tinnit, inane est*. ita grandiori tono laudes suas ebuccinant ac tinniunt, qui inanes sunt; ligna quæ multum fumi dant, parùm fovent flammarum: aves, quæ clamoris multum, minimùm ferè carnis ac saporis habent, canes, qui multùm latrant, minus mordent; non strepentes, sed silentes aquæ, dicuntur profundæ; multùm clamoris parùm lanæ dicebat rusticus, cùm suem tonderet. Similiter minus veræ pietatis, scientiæ, gratiæque divinæ habent, qui inaniter de eadem sese jactitant. Non habet jactabundus tantam solidæ laudis materiam, quantam alij, quibuscum comparare se deberet, habuêre; non habet tantum scientiæ, quantum Salomon vel Aristoteles; tantum fortitudinis, quantum Samson vel Milo Crotoniates; tantum pulchritudinis quantum Absolon vel Paris; tantum felicitatis, quantum Saul vel Giges vel Pompejus, tantum pietatis, quantum David vel Petrus, & tamen Salomon in fine vitæ scientiam laudemque suam ità diminuit, ut se stultissimum virorum appellârit; Aristoteles Euripum non capiens, in Euripum, ùt multi scribunt, insiliit; Samson in lusum Philisthæis; Milo in prædam lupis cessit; Absalon & Paris in flore ætatis defloruêre; Saul servili manu interemptus; Giges crucifixus; Pompeius à mancipio decollatus est; David in turpissimum adulterij; Petrus in negationis crimen prolapsus àbunde docuêre, de nulla securè sese hominem jactare posse excellentia Si de exterrioribus sermo est talentis, à bestijs superamur, ut fusè enumeravit D. Isido-

Iſidorus orat. de humil: *qui rebus externis gloriantur, in iis à beſtiis ſuperantur. magnâ corporis mole præditus es? quæ eſt hæc ſi cum elephanti mole comparetur?* & tamen elephantem mus fatigat. *fortis es & intrepidus? at leo longè te ſuperat, de quo ſcriptum eſt: leo fortiſſimus animalium ad nullius pavebit occurſum.* & tamen leonem gallus terret. *Cantu ac vocis modulatione inſignis es? at cygnus, luſcinia & plurima vocales aves maius miraculum in ſuo cantu excitant,* quæ tamen paſſim habent elogium: *vox eſt prætereàque nihil, pulcher es? & pavo inſigni pulchritudine præſtat, & aves aliæ multa pulchritudine gloriantur.* at pedes reſpice & erubeſce. *Arte aliquâ præſtas? quid in hac re apibus eſt ſapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra poſſit imitari.* Et tamen levis fumus fugat apes ac opus omne impedit. *Tenui ac ſubtili veſte uteris? hic te ſuperant araneæ,* & quid te ipſum eviſceras? *celeritate pedum vales? rurſus primatum tenet lepus. acuto viſu præditus es? non ut caprea, Acutè audis? at acutiùs aſinus. Acuto es odoratu? canis te ſuperat.* Ad canes, ad aſinos, ad capreas, ad lepores, ò jactabunde, quibus cùm de palma concerta, & aſinorum jubilum expecta.

At nunquid ſpecioſis ſeſe verbis dilaudarûnt Samuel 1. *Reg. c. 2. & 3.* Ezechias Rex 4. *Reg.* 20. Memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate. David toto pſalmo centeſimo decimo octavo. Job. toto cap. 29. oculus fui cœco, & pes claudo, totòque cap. 31. Paulus 2. *Tim.* 4. bonum certamen certavi, abundantiùs illis omnibus laboravi 1. *Cor. 15. v.* 10. Reſpondet S. Gregorius lib. 12. moral. c. 16. *in auribus Dei ſuperba non ſunt, quæ humili corde proferuntur.* Monet proinde Auguſtinus in pſ. 98. & 102. etſi imperfectis oſtentare theſauros ſuos non expediat, nè illos amittant, nec recitare bona ſua, quamdiu in vita ſunt, nè illis contingat, quod gallinis, quæ mox ùt ova pepererunt, clamore ſuo Dominos excitant, qui ova edita illis auferant; perfectis tamen & magnis viris licitum eſt, non ſolùm bona ſua recogitare, ſed etiam illa alijs pronuntiare, quando ſvadet neceſſitas glo-

riæ Chriſti, vel ad id urget pia utilitas proximi, modò illa dona Dei agnoſcant, & per illa humilientur, & ſinè aliorum contemptu, qui tales non ſunt, imò cum magna eorum commiſeratione cogitantur. Hæc enim non vanitas eſt, ſed charitas, nec virtutum defectus, ſed, profectus.

§. 3. *Jactantia noxia, quia perdit omnia.*

Quàm noxia porrò ſit jactantia, damno ſuo expertus eſt Herodes Rex, & Concionator, ùt Lucas Actor. 12. à v. 21. memorat; qui quòd honorem Deo non dediſſet, percuſſus ab Angelo & *conſumptus à vermibus expiravit.* Experti ante Herodem jactantiæ exitum ſunt Apollonius, Nicanor, Antiochus, turpiſſimâ morte conſumpti, ùt legere eſt lib. 1. Machab. c. 3. & 2. Mach. c. 8. & 9. ante hos Core, Dathan, Abiron abſorpti à terra, quòd jactantiæ paſcerentur aurâ. Expertus eſt detrimentum jactantiæ Balthaſar Dan. 5. ante Balthaſarem Nabuchodonoſor Dan. 4. ante Nabuchodonoſorem Ezechias 4. Reg. 20. ante Exechiam Saul 1. Reg. 31. ante Saul Pharao Exodi 14. omitto Goliathos, Nabales, Amanes, Holofernes, innumeròſque alios, quos ſua perdidit jactantia, fecitque non eſſe, quod erant. Ezechiam Regem præ cæteris venerabilis Beda expendit, & glorioſorum typum eſſe pronuntiat; *Ezechias vanè oſtentans theſauros ſuos ſignificat ſervum DEI, dum virtutes ſuas vana gloria prodiderit, mox eas perdere, inque dæmonum dominium theſauros bonorum operum infelici commutatione tranſire.* Et cur Ezechias non punitur alio ſupplicio, quam theſaurorum ablatione? *Ecce dies venient, & auferentur omnia* v. 17. cur non igne, peſte, morte? quia jactantia aufert virtutes & ſpoliat hominem, ſicut viatorem Jerichuntinum latrones deſpoliârunt. Gallinæ glocitanti inſcribitur: *Dum prodit, perdit,* ità perdunt multi ſpem in ovo, coronam in præmio. Sicut enim, ut phraſi Gregorianâ loquar deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat, ità ſpoliari cum Ezechia vult, qui divitias ſuas oſtentat. In templo Domini & arca inaniter gloriabantur judæi, utrumque perdidêre. Primogenita ovium tonderi vetuit De-

us intonſaque immolari, quia ùt D. Gregorius lib. 8. c. 34 moral: explicat, opera noſtra per jactantiam denudari non debent, ſed integra Deo dicari. Apud Arvernos conjuges duo caſtimoniam laudabili exemplo conſervârant, cùmque uxor moreretur, & jam tumulo conderetur, exclamavit maritus: gratias ago Deo meo, quòd conjugem illi meam reddam virginem. & ecce vox de ſepulchro & Sarcophago inſonuit: *Sile, ſile vir Dei, quia non eſt neceſſe noſtrum, nemine interrogante, aperire ſecretum.* Timuit uxor marito, nè maritum perderet, dum proderet. Perdit enim verò omnes virtutes jactantia, prout in iactabundo Phariſæo patuit, de quo D. Ambroſius ſerm. 3. in pſ. 118. *non mentiebatur Phariſæus, imò etiam vera dicebat, ſed omnis qui ſe exaltat, etiamſi vera dicat, offendit.* O quantum crimen ſuperbia, ut ei etiam adulteria præferantur. Servos inutiles dicere nos debemus ex præcepto Chriſti Luc. 17. v. 9. ut utiles eſſe incipiamus: *Si te inutilem eſſe fatearis, factus es utilis, etiamſi fueris antea culpabilis.* Chryſoſtomus homil. 3. in Matth.

§. 4. Cur lapide occiſus Goliath.

Goliathum aiunt Talmudiſtæ pingviſſima ſcommata in Davidem jactâviſſe, ut ſuam coràm utroque exercitu extolleret generoſitatem: veni tripalmaris puſio, & ſputo oris mei ſuffocabo te, habitu meo difflabo te, ſorbitiunculâ unâ abſorbebo te, umbrâ haſtæ meæ configam te. David è contra in nomine Domini lapidem fundâ gyravit, & turrim carneam funditùs evertit. cur lapide potiùs, quam alio inſtrumento bellico conficitur? ſicut lapis in altum projectus, in alto non manet, ſed recidit, & non raro projicientem ferit: *qui in altū mittit lapidem, ſuper caput eius cadet.* Eccl. 27. v. 28 ità verbum jactantiæ jactabundum ferit. Lapidem vidit Daniel, qui pulcherrimam contrivit ſtatuam, quam deſcribit ipſe c. 2. v. 45. ità conteritur calculo reprobationis divinæ jactantia humana. Jactabundum militem Auguſtus confixit inquiens: tu verò cùm denuò è campo fugeris, cave reſpicias, nè lapide graviori ſaucieris. Sic à Deo hominibùsque configuntur glorio-

ſuli,

ſuli, & unde captabant gemmulam gloriæ, ſilicem ſentiunt contumeliæ. Dicuntur Lappi ventos vendere ac emere, ventorum verè ludibrium & dæmonum cacchinnus. ventos vendunt & emunt glorioſuli, ac denique ſentiunt omnes conatus ſuos in ventos abiîſſe, ſicut Hannonis divinitas abiît, quam per inſtructas improbo labore multisque impenſis aviculas ſibi vendicare ſtudebat. ò verè Lappos & ventorum ſibilo dignos, qui ventis ſua carmina, ſua facinora, ſua præconia mandant.

§. 5. Repellit IESUS jactabundum.

Acceſſit juvenculus doctor Salvatorem, ſeque ad omne obſequium magnificè obtulit, ſed repulit eum IESUS, & vulpi doloſæ comparavit, ùt videre eſt Matth. 8 & Luc. 9. è contrà noctu adrepit Nicodemus Ioann. 3. & gratioſam impetrat audientiam, cur ità? quia jactabundus ille, hic verò timidus, quanquam & Nicodemus non tam citò cæperit ſermonem Chriſti, quàm Samaritana Joann. 4. quià, ùt loquitur Chryſoſtomus homil. 27. in Joann. *Nicodemus multitudinis gloriâ mulcebatur, quam ob rem debitam fiduciam habere non poterat.* ubi vel umbra jactantiæ, ibi nulla lux fiduciæ. Miſertus Eliſæus Sunamitidis, quòd filio unigenito orbata eſſet, famulo ſuo demandat, baculum arripere & nemine per viam ſalutato iter celerrimè proſequi, cur ſalutare obvios prohibeatur cauſa fuit, jactantiæ periculum, tanquam certiſſimum divinæ gratiæ impedimentum oculatiſſimus vates præcavere volebat. *Accinge lumbos tuos & tolle baculum & vade.* 4. Reg. 4. v. 29. Exequitur impigrè Magiſtri juſſa Diſcipulus, venit Sunam, imponit cadaveri baculum, expectat anaſtaſin, ſed fruſtra, puer jacet in mortuum, cadaver manet cadaver. Quid hoc? an fallitur propheta? an gratiam divinam demeruit? putant Rabbini apud Lyranum violatū eſſe à jactabundo diſcipulo mandatum Eliſæi, eámque jactantiam, ùt loquitur Theodoretus, miraculi fuiſſe impedimentum. At demus ſervatum fuiſſe ſilentium, baculus ipſe perdit vim & efficaciam, cum abſcon-

ditus

Sylveira tom. 3. l. 4. c. 10. q. 26. ditus non fuit. nimirum, ùt Sylveira loquitur, virtus data & glorianter proditur, deperditur. Plerùmque Salvator noſter ſanatis á ſe hominibus ſilentium indixit, ùt videre eſt in leproſis Matth. 9 Archiſynagogo Luc. 8. aliìsque, quia ùt Paſchaſius loquitur lib. 8 in Matth. *Christi Spiritus oſtentationem fugit*, & Chryſoſtomus homil. 96. *Certe noverat, quòd non eſſet ille taciturus, tamen quantum in ſe eſt, fugit oſtentare quod fecerat, docens quam eſſet alienus ab aura gloriæ ac iactantia pompa.*

§. 6. Jactabundus cui comparabilis. O Jactabunde Thraſo tu quis es? quid dicis de te ipſo? imò quid de te alij? inflata rana es, aſinus Æſopicus, graculus & gallus in fabulis. Ranam deſcribit Vincentius Belluacenſis, dum bovi par eſſe affectaret, rugoſam inflâſſe pellem & ſciſcitatam a natis, an iam par bovi? illis negantibus magis magisque intumuit, dum denique rumperetur. Aſinus Æſopicus cum repertam neſcio ubi pellem leoninam ſibi injeciſſet, terrori quibusdam animalibus fuit, accedente præſertim rugitu inſolentiori, verum ex auribus agnitus & fuſte præuſto exceptus, condignum jactantiæ ſuæ retulit prœmium. Graculus aquilam conſpiciens, quæ agnellum in prædam cæperat arietem & ipſe involare auſus eſt, ſed hæſit inter vellus arietis, captusque ab opilione & alis mutilatus, fabula & jocus prolibus opilionis fuit, quæ cum non raro ex graculo quærerent: tu quis es? reſpondit pro graculo pater: ipſe ſibi videtur aquila eſſe, ſed mihi graculus eſt. gallus gallinaceus, dum rivalem viciſſet, & ſub tectum pudoris ergo ſeſe abdere coëgiſſet, ipſe tecti vertici inſidens victoriam ſibi cecinit, & prætervolanti aquilæ in prædam ceſſit: *Sic vincitur victoria.*

Matth. 26. v. 34. Inter inſtrumenta paſſionis gallus eſt, de quo Chriſtus Petro dixerat: *Antequàm gallus cantet bis, ter me negabis.* At quid moleſtiæ Chriſto patienti intulit gallus, qui cantu ſuo Petrū ad pœnitentiam excitavit? Symbolum, ùt dixi, jactantiæ gallus eſt, & ruinæ Petri prænuntius. Lapſus eſt Petrus, & non ſimpliciter, ſed trino negationis ſcelere, ut Origene teſte, ar-

guatur jactantia ejus per unam ancillam. *Utilius ergo*, inquit Tertullianus lib. de cultu fæm. c. 2 *Si credamus nos poſſe delinquere, credendo timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus, contrà ſi præſumamus, neque timendo, neque cavendo, difficilè ſalvi erimus.* Per gallum monetur Petrus, ut qui per typhonem jactantiæ peccârat, per jactantiæ typum puniatur. Galli a ſacrificiis excluduntur in lege veteri, extra Eccleſiam pro apice collocantur in lege gratiæ, ut nôrint jactabundi, locum gratiæ & miſericordiæ in templo ſibi non eſſe, ſicut ambitioſo Phariſæo non fuit. Res mira! omnes Apoſtoli, qui graviori ſeſe labe ſordidarânt, galli (jactabundi inquam) fuêre. Jactat ſe Petrus de ſanctitate: *Ego non ſcandalizabor*, & ſanctitatem ipſam ejurat ac anathematizat. Jactat ſe Thomas de fidelitate & fortitudine: *Eamus & moriamur cum illo*, & in abſurdiſſimam incidit infidelitatem: *Non credam.* Jactat ſe Judas de miſericordia: *Quare hoc ungventum non veniit 300. denariis & datum eſt egenis?* Ioann. 12. v. 5. & ecce ipſam Miſericordiam triginta denariis mercator peſſimus prodegit. itá delinquimus, in quo nos jactamus. jactet ſe Virgo de virginitate ſua, diu virgo non erit; jactet ſe Religioſus de probitate ſua, probus non erit; jactet ſe dives de Eleemoſyna ſua, diu munificus non erit; priusquam gallus cantet bis, ter virtutem jactabundus negavit; priuſquam bis ſe jactet ambitioſus, ter contra eandem virtutem, cuius ergò ſeſe jactitat, peccabit. Magna jactantia, magna ruina. Gallum in arbore ſedentem, ſuamque ſcientiam, quâ mutationes aëris Aſtrologis omnibus certiùs prenôſſet jactitantem, & fortè illud Jobi repetentem: *Quis dedit gallo intelligentiam?* convenit vulpes, laudavitque a- *Iob. 38. v. 36* ſtrorum peritiam & quandam divinitatis prærogativam: ò liceat mihi divinum tuum roſtrum deoſculari, quo ſecuturas aëris vices uatidicè auguraris. complacuit ſibi in doloſa vulpe gallus, & roſtrum vulpi ad oſculum porrexit, ſed interceptus à vulpe & dilaceratus interiit. Sic ludit dæmon & mun-

dus cum ambitioso. *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Js. 3. v. 12. Sobne sacerdoti summo, qui inter pellices sicut inter gallinas gallus gallinaceus (ùt putat Cornelius) agebat, & in suo fimeto cristas attollebat, minatur Jsaias c. 22. v. 17. *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus*, Qui cũ ligatis alis pedibusque in forum vænalis defertur, demittit cristas, & pisce magis mutus conticescit. Asportari te faciet ò Jactabunde Deus, & in contemptum ac confusionem sempiternam venumdabit, qui jactantiâ tuâ enormem supremo Regi ac Domino contemptum intulisti.

§. 5. Iactantia sui est contemptus DEI.

Iactantia sui est contemptus Dei, inquit Theophylactus; cùm enim quis non Deo, sed sibi sua bona tribuit, quid hoc aliud, quam negare Deum est, & ei adversari? propter hoc enim quòd confidunt in seipsis, non totum hoc Deo tribuunt, sed alios per hoc exinaniunt. quare mirum non est, si Deus resistat: *Tanquam contumeliæ suæ propulsator, velutè suscipit adversus superbos speciale certamen.* S. Ambrosius serm 7. in ps. 118. At quis unquam restitit ei, & pacem, victoriam, felicitatem habuit? quis duellum cum Deo iniit, & seipsum non feriit, perdiditque? denique ne nimis sim, infigat supremum jactabundis aculeum apis clarævallensis: *Nemo vestrûm velit laudari in vita, quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris.* Ad malam crucem cum his furibus, ad Amanis patibulum cum ejusmodi trasonibus, ad corvorum odæum cum talibus ebuccinatoribus, ubi suas semper laudes audiant procrastinari.

S. Bernardus serm. 13. in cant.



PHILIPPICA IV.

In inhospitales Iesuli Hostes.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Videbit omnis Caro salutare Dei. Luc. c. 3. v. 6.

§. 1. Quomodo intelligendum, quod omnis caro videbit salutare DEI.

OMnis carnis nomine homo intelligitur, qui *caro propterea appellatur*, ut acutè notavit Hieronymus in c. 40. v. 5. Isaiæ *Quia primus*, ante Christi adventum, *Spiritum Sanctum non habebat.* Omnis ergò homo videbit Salutare Dei quod os Domini locutum est. at quando videbit? in die novissimo? ità quidem Augustinus Greg: Remi: Anto: Padvanus sentiunt; obstat tamen, quòd Isaias & Ioannes de primo Christi adventu agant, non de secundo. Aptiùs proinde Caietanus verba Prophetæ non de visione actuali, sed de potentia videndi, accipienda existimat, quia videri ab omnibus Salvator poterit, quantum ex parte Salvatoris est, qui omnes ad se venire desiderat; imo ab omnibꝰ ipsemet recipi in hospitiũ cordis postulat, stat enim ante ostium & pulsat. *aperi mihi soror mea sponsa*; quamvis ex omnibus paucissimi sint futuri, qui videre salutare Dei seriò desiderabunt. *Amor oculus est, & amare videre est*, inquit D. Augustinus; videre Iesulum nolumus, quia nolumus amare. Quod primitùs humanato Deo accidit, idem sibi hoc anno, in hac urbe natali suâ luce accidere sentiet, in propria enim veniet, & sui eum non recipient. Non recipient per aures, quas verbo Dei occludent; non recipient per os, quod sumendæ proximis festis Eucharistiæ non aperient; non recipient corde, quod divinis inspirationibus obserabunt: non recipient oculis, quos fidenter in cœlum attollere, aut in devotam Iesuli effigiem figere negligent; non recipient

Cant. 5. v. 2

S. Augustinus de grad. charitat.

manibus, quas extendere ad pauperem, & in egeno Jeſulum ſtipe donare dedignabuntur. ò inhoſpitales Caucaſos! ò feris efferatiores homines! ò pectora omnibus marmoribus, quid? inferis ipſis (á quibus receptum in deſcenſu ſuo Chriſtum fuiſſe credimus) longè duriora. Contra inhoſpitales ejuſmodi peccatores, utinam tam feliciter dicam hodie, ut auferatur á nobis cor lapideum, & detur cor carneum, omniſque hic præſens caro videat feſtis proximè ſecuturis ſalutare DEI.

§. 2. Cur ſupplicium eorum non exprimatur qui Ieſulum non recipiunt

Prudenti obſervatione adnotavit Chryſoſtomus homil. 9. in Ioann. quòd recipientibus Chriſtum promittatur filiatio divina *quotquot autē receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* non recipientibus verò nullum aſſignetur ſupplicium. *quid non dicis Ioannes eorū etiā ſuppliciū? qui eum nō receperunt ita enim maiorē in modū eos perterrere, & duritiem illam ingratitudinis mollire poteras* & quid cauſæ putamus eſſe, quòd ſupplicium eorum non deſcribatur, quotquot non receperunt eum? defuêre Joanni verba, quibus condignè deſcriberet parata inhoſpitalibus Ieſuli hoſtibus tormenta. Et quod gravius excogitari poteſt ſupplicium, quàm receptione Ieſuli fieri indignum? ſicut nulla maior peccati pœna eſſe poteſt, quàm ipſummet peccatum. *quānam igitur gratiâ id ſubticuiſti* pergit Chryſoſtomus, *& quodnam maius ſupplicium eſſe poteſt, quam ſi eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint; ſed ſponte ſuâ, tantâ ſe nobilitate, tanto honore indignos efficiant.* Nullum dirius ſupplicium, quàm non recipere Dei filium.

§. 3. Reverentiam erga Ieſulum docemur ab Angelis & dæmonibus; at multi Ieſulum ignibus male excipiunt.

Beatiſſimi illi cœlorum inquilini & deitatis filij, Angeli inquam, ingentes Verbo gratias referunt, quòd humanam aſſumere naturam dignatum ſit; quantò magis id facere decet homines, propter quos ſalvandos in terras deſcendit? Cōſiderat venerabilis Beda avidiſſimè advolâſſe Angelos in ſtabulum, & aſpectu belliſſimi infantis ſeſe oblectâſſe: *non ſolùm immortalem Deitatis magnificentiam, ſed & aſſumptæ eius humanitatis claritatem ſemper aſpicere gaudent.* Similia ſibi imaginatur S. Tho-

mas Villanovanus ſerm. de part. Virg: millia angelorum flexiſſe ad præſepe, interque ruſticos adorâſſe neonatū: *Quia Rex Angelorum iacet, tibi Principatus & Poteſtates, Cherubini ac Seraphini, ibi Reges & paſtores etiam iumentis permixti, communem creatorem adorant. nullus contemnit alium, nullus ibi ait quis es tu? ſed mirabili concordia Angelici Principatus ſuæ celſitudinis ac dignitatis obliti, iumentis aſſociati non dedignantur Dominum inter ruſticos adorare.* Eòdem veniendi cupidus Chryſoſtomus homil. 2. in Luc. *O ſi mihi* inquit *videre liceret illud præſepe, in quo dominus iacuit. o dulcis dies, & verè dulcis! dulcis hora, quâ Salvator mundi poſitus fuit in præſepio! promitto vobis filioli, & certus ſum, quia in hac die, ſi quis coram præſepio devotus fuerit, quodcunque petierit dabitur ei.* Quodſi Angelorum exemplo non traheris, cacodæmonum certè minæ & ſarcaſmi te impellant ad debitam naſcituro Ieſulo reverentiam & obſequium exhibendum. Narrant veterum monumenta Patrum eremitæ cuidam ad verba illa: *Verbum caro factum eſt*, caput non ſubmittenti, ſonantiſſimam á Dæmone impactam eſſe alapam dicente: ſi propter me Verbum caro factum eſſet, non ad terræ modò pavimentum totum me ſubmitterem, ſed in imum terræ centrum deponerem. Pudeat te ignaviſſime homuncio caput illi non ſubmittere, qui propter te inclinavit cœlos & deſcendit. Si has ſannas merebatur neglectus reverentiæ, quibus mactanda erit ſupplicijs turpiſſima repulſa incarnato Verbo inferri paſſim ſolita, quòd in propria veniens à ſuis non recipiatur! *ſui eum non receperunt*, qui illi *ſui*! filij patrem, ſervi Dominum, clientes patronum, fratres fraterculum; *ſui* vocati ad regnum pari nomine inſigniti, de copioſa hoſpitij mercede aſſecurati. Nonnulli eum recipiunt, ſed ut turpiùs ejiciant. Eliam puerulum vidit parens imponi cunis igneis, involvi faſcijs igneis, & lac maternum ſcintillulis flammantibus ab aſtantibus genijs aſpergi. Ignes hi cœleſtes & innoxij fuêre, quibus involui & nutriri Elias infans uiſus eſt; at vero ignes, quibus malignus mundus Ieſulum involvere nititur,

infernales ſunt. Nato Virginis filio quid non cœlum novo inſolentis cometæ jubare arſit? arſit & Herodis Regia igne furiali. an non Ieſulus *fax ignis in fœno*? ſed & dæmon facem accendit in fœno illo, de quo Jſaias c. 40. v. 6. *omnis caro fænũ.* Sic hodiéque ignibus luditur & lingvis à gehenna inflammatis, aut actionibus ſuperſtitioſis, ſacrâ Nativitatis nocte exerceri ſolitis quaſi miſſilibus ex inferno ignibus illuditur. Hoc hoc eſt imponere in cunas faſciaſq; igneas Ieſulum, & favillas illi in os ingerere. S. Elia ubi es? ò fulmina cur quieſcitis? ó ſevera Juſtitiæ dextera quid moraris? *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt. Pones eos ùt clibanum ignis, dominus in ira ſua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* Pſ. 20. v. 9. Quin ignes ignibus reſtingvimus, & cum Seraphinis, ſi non ardemus, ardere certe deſideramus, atque cœleſtibus ignibus nos indignos, digniſſimos verò ſceleſtorum æternis ignibus nos proclamamus.

Zach. 12. v. 6.

§. 4. Qualia vincula genethliaca Ieſulo à nonnulis injiciantur.

Solimannus Turcarum tyrannus juſſerat Bajazethem parvulum ſtrangulari, idque Eunucho Pruſæ commiſerat, Adfuit cum fune lictor. ò Ieſule quàm timeo, nè idem hoc tibi accidat, pro vinculo natalitio funem forte aliqui tentabunt tuo ſacerrimo pulcherrimoque collo injicere, ut cogâre ingemiſcere: *funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Conſvetudo peierandi, blaſphemandi, fornicandi, funes ſunt; peccata ſuperbiæ, injuſtitiæ, iracundiæ laquei ſunt, his Ieſulum ligamus. O infelix infantule! Funes injicere eſt, ùt ait Apoſtolus Rom. 1. v. 18. Veritatem Dei in juſtitia detinere, pejerare ſcilicet, & falſum dicere teſtimonium. Funes ſunt illæ aureæ catenæ argentea cingula, armillæ & monilia contra juſtitiam detenta: ſic ligatur Ieſulus. At erit aliquando tempus, cùm invictus iſte Samſon diſruptis funibus voto regio ſatisfaciet, & *pluet ſuper peccatores laqueos; ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*; veniet illis laqueus, quem ignorant, & laquei mortis præoccupabunt eos.

Pſ. 118. v. 61.

Pſ. 10. v. 7.

Eunu-

Eunuchus ille, cujus ſupra meminimus, commiſeratione erga formoſum puerum motus, non potuit in animum inducere, ut ſtrangularet innoxium, ſed ſatellitem aliquem ad patrandum facinus pretio conduxit. Verum nè hic quidem mandatum dedit effectui; cum enim funem jam iniec iſſet collo, infans roſeis labellis arriſit, oculis ſtelleis ſcintillavit, brachiolis extenſis manum carnificis amplexus ad oſculum attraxit. ò peccatores! ò crudeliſſimis crudeliores tyrannis! Ieſulus arridet, & cùm riſu non proficit, plorat, imploratque fidem ac clementiam veſtram, ecce oculos amabiles carbunculis lucidiores, magnete, niſi vos adamantes eſſetis, efficaciores (magnes enim præſente adamante vires deperdit) cur funes non abjicitis? cur miſericordiæ locum negatis? cur non deſiſtitis peccare? fruſtra ego iſta! nemo movetur, nemo miſeretur, ex ijs inquam peccatoribus, qui peccati mortalis ſibi conſcij, aut actu molientes aliquod piaculum his feſtis committere, hìc adſunt, audiunt, & perdurant. Repetam licèt millies, quod Patriarcha Ruben pro fratre ſuo Joſepho pronunciavit: *Nolite peccare in puerum,* frater & caro noſtra eſt, peccabunt nihilominus, & carni ac ſangvini ſuo non parcent, nè parcere illis poſſit Deus, ſed veniat ſuper eos tribulatio, & ſangvis iucarnati Dei de manibus eorum requiratur.

Genes: 42. v. 22.

Narrat Thomas Cantipratanus religioſum Sacerdotem ex divi Bernardi familia, negotiorum causâ abjiſſe in villam cœnobij eo ipſo tempore, quo ad natalitia Saluatoris feſta piè obeunda ſacri profanique homines diſponere ſe conſveverunt: tempeſtas erat perfrigida, auſterum gelu, nivibus contecta omnia. & ecce in denſa rigidaque nive ſedere conſpicit puellum formoſiſſimum totis artubus contremiſcentem, calidiſſimiſque lacrymis rigorem nivium colliquantem. Nõ potuit non virum religioſum intima pueri elegantiſſimi tangere commiſeratio, cujus amplexandi fovendique gratiâ equo deſilit, in brachia parvulum attollit, calentibus oſculis

§. 5. Memorabilis hiſtoria ex Cantiprat lib 2. apolog. c. 1. § 13.

gelu

gelu expellit, lacrymis lacrymas miscet, & unde hùc devenisset, requirit, Tacebat infantulus, quæstiones nihilominus congeminabat Religiosus, & ubi mater ejus esset rescire percupiebat; fatigatus quæstionibus & precibus parvulus, in validos eiulatus erupit, exclamavitque: *Heu me! heu me! quomodo gemitus continerem & lacrymas, qui ab omnibus desertus sum, ut vides; in frigore sedere cogor, nec est, qui foveat; solus esse cogor, non est, qui hospitio recipiat; fame sitique perire cogor, non est, qui alimenta præstet; heu me miserum! heu me derelictum!* Ah dulcis parvule, reponit religiosus, parce lacrymis, parce singultibus, parce lamentis, ego te tecto lectòque calido fovebo, ego te quantùm fas est, frugaliter enutriam, ego tibi in matrem ero patremque. Dixit, & inter brachia arctiùs stringens parvulum pallio involvit, & unà equum conscendere tentavit; at in ipso ascendendi conatu exiliît de geruli sui brachijs infans, & momento disparuit. Agnovit tunc primùm, cùm amisisset, quem tenuerat Religiosus, virginis videlicet filium, cœlorũ delicium, mundi salvatorem, cujus desiderio inflammatus in terram decidit, & fletibus ac suspirijs ad animi usque deliquium indulsit, donec tandem in nivibus á famulo, quem in villam præmiserat repertus, & in equum levatus, villam tenuit, ubi tamen aliud agere non potuit, quam nocte totâ suspirare, lacrymari, & identidem ingeminare: *ah parvule! ah speciosule! ah amabilis nimis! cur me dereliquisti? cur tam citò evanuisti? cur ego te perdidi?* Nec consolationem admisit aliam, quam collacrymantium gemitus ac suspiria super formosissimi pueruli jactura, seu potius turpissima mortalium repulsa atque injuria, quâ Amorem incarnatum afficiunt, dum de cordis sui hospitio dulcissimum hospitem repellunt. Quæ cùm enarrâsset Cantipratanus, subjungit: quis hominum sinè lacrymis audire potest piaculum tale ac tantum, quòd Filius unicus Patris, Deus de Deo & Conditor universorum hospitium in terra quærit, eget cibo, algore contrahitur, & præ abundantia

tia iniquitatis refrigescente charitate multorum, non est, qui eum recipiat cordis hospitio, reficiat Patris placitâ voluntate, involvat & foveat devotionis sinu, veste contegat charitatis. Hæc Cantipratanus.

§. 6. *Inhumanitas in Iesulum in die judicij severissime plectenda.*

Tam grande & intolerandum istud barbaræ inhospitalitatis crimen est, ut cæteris quasi dissimulatis solum hoc in novissimo judicij die producendum, & tanquam scelerum omnium complementum, ac præcipua reprobationis causa sit assignanda: *Tunc dicet & his qui a sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi bibere; hospes eram, & non collegistis me; nudus eram, & non cooperuistis me; infirmus* (in fascijs) *& in carcere* (Bethlehemitici stabuli) *& non visitâstis me.* Auditis principem damnationis causam! quia hospes Iesulus collectus non est, esuriens ac sitiens Iesulus suspirijs ac lacrymis nostris pastus non est, nudus & captivus Iesulus nec purpurâ charitatis, nec bysso puritatis á nobis vestitus, nec visitatione amica recreatus est. Hoc erit potissimũ iræ divinæ, & decretoriæ in reprobos sententiæ incentivum. Quia *iustissima æquitas est*, inquit Euthymuis in c. 25. Matth. *ut immanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.* Ite maledicti, qui venire ad benedictum Patris misericordiarum filium, ab eoque æternam recipere benedictionem neglexistis; ite in ignem æternum, qui scintillulam sinceri amoris erga amabilissimum parvulum concipere in cordibus vestris neglexistis. Ite in famem sitimque rabidam, qui micâ panis vel frigidæ guttulâ subvenire Deo homini renuistis. Ite in nuditatem probrosissimam, in carcerem ac vincula horrida, in societatem dæmonum intolerandam, qui immisericordem inhumanumque diabolum imitari, quam humanitatis obsequia humanato Verbo deferre maluistis. Iustissima est æquitas ut immanitas inhumanis & misericordibus misericordia retribuatur. Quis nudum spernit mox futurum iudicem? ait eleganter

Matth. 25. à v. 41.

legantissimè Basilius Seleucus orat. 26 Quis universi judicem damnat siti? Novit Christus pauperũ manibus donisque capi (sicut à Pastoribus captus est) novit pro munere longa supplicia remittere. quodsi benevolentiâ ejusdem uti nolumus, vertetur in furorem favor, in severitatem clementia, amor in odium & ambustionem æternam.

§. 7. Inhumanitas ista ex similitudinibus elucescit.

Atque ut magis immanitatem inhumanitatis nostræ in repellendo ab hospitio cordis nostri Iesulo penetremus, fingamus Augustissimum Imperatorem nostrum Leopoldum ex clementissimâ benevolentia erga civitatem hanc, unigenitum suum Josephum cum immensis gazis, rarissimis privilegijs, amplissimis muneribus in hanc urbem mittere, ut hospitem hic diebus pauculis agat, & divitiarum gratiarumquè thesauros in universos dispertiat incolas; Quodsi Serenissimus iste hospes in urbem non admitteretur, sed obseratis portis, elevatis pontibus Sublicijs, reductis ferratis cataractis juberetur extra mœnia in cœmeterio publico, sub Jove frigido, divertere & pernoctare; an non digna urbs Cæsaris irâ, & plusquam Troiano Solymitanòque excidio? Fingamus Catholicum Hispaniarum Indiarumque Monarcham Carolum, literas gratiarum plenas manu propriâ exaratas ad pauperculum aliquem urbis nostræ civem clementissimè mittere, in ijsque & vellus aureum & *Grandis* titulum, & longè copiosiores auri gemmarùmque thesauros, quàm regina Saba Salomoni attulerit, munificentissimè offerre; Quodsi subrusticus civis laureatas Regis literas vix oculo dignaretur, sed conspueret, conculcaret, & prunis super injectis exureret: quid de barbaro ejusmodi cive sentiendum? quibus oculis à Magistratu, quibus vocibus à populo excipiendus? in quod relegandus exilium, aut quibus mactandus pœnis, in culpæ hujus suæ abolitionem? Atqui multo crudeliùs in humanissimum supremi cælorum terrarumque Imperatoris unigenã, nos ingratissimi perfidissimique mortales delinquimus, dum à cordis nostri diversorio eundem repellimus,

limus, oblatos gratiarum thesauros & cælestis gloriæ titulos respuimus & conspuimus, cogimusque illud hodiedùm repetere, quod olim dilectæ suæ Brigittæ questus fuisse legitur: *Ab omnibus neglectus sum, ab omnibus expulsus sum, quia nemo in dilectione sua habere me desiderat.* *Rev. c. 58.* Deus propter homines factus est homo (verba Augustini c. 5. & 6. manual.) ut uterque sensus hominis in eo beatificaretur, ut reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate; in similitudinem hominis Deus apparuit, ut familiariùs ab homine diligeretur. Verum nemo eum in dilectione sua habere desiderat; sed amorem odio, beneficia maleficijs, humanitatem barbarie compensat; ac velut alter sangvinarius Joab affabili Amasæ pro osculo pugionem, & vulnera, & funera rependit.

S. Coletæ virgini in ferijs natalitijs precanti, dedit sese in conspectum Virgo Mater, & filium obtulit, non qui in sinu luderet aut Coletæ arrideret, sed qui vulnere super vulnus in tenerrimo corpusculo concisus, singultibus & lacrymis suis commiseratione opemque exposcere videretur. *Engelgr. p. 2. Lucis Evang. Dominica. Quinquag. s. 2. ab initio* Adiecit Deipara illam hodiéque facinorosorum hominum feritatem esse, ut Christum vix natum, crudeliùs quam Judæi cruentent, super dorsum fabricent, & unum faciant in toto corpore vulnus. Quæ Christianorum barbaries longè exuperat excœcatorum rabiem Iudæorum; siquidem post tot amoris argumenta, post tot accepta charismata, immortalem Iesulum jam in cælis regnantem non tantùm diversorio excludere, & in fœtidum ablegare stabulum, sed sauciare & crucifigere in cunis attentant. O furor! ò rabies! ò plusquàm belluina immanitas!

§. 8. Bestia in infantulos benigna.

Scimus ab Elephanto Madriti infantulum, quem in nivibus frigore propè enectum repererat, ex naturali commiseratione nivibus extractum, fotumque, & subtectum deportatum, loco tuto repositum fuisse. Quid? quòd à brutis animantibus infantuli lactati sint & educati, ob eum quem natura irrationalibus quoque animantibus ingenuit, erga inno-

centem infantiam commiserationis affectum. Hieronem & Melitæum apiculæ aluerunt, Semiramidem columbæ, quas posteà Syri in gratiam Reginæ suæ in vexilla transtulêre, divinisque affecêre honoribus. Ptolomæum & Ægistum paverunt aquilæ & quidem sangvine coturnicum. Cyrum canis aluit, Paridem cerva, Æsculapium & Egistum Capra, Telephium & filiolum S. Genovefæ Cerva, Lycastum & Parrhasium lupa, quæ recèns effusos catulos abjecisse dicitur, ut infantulis lac ad pastum sufficeret. Janus à serpentibus mel lectissimum suggerentibus est nutritus. Ita mansvescunt in hominem feræ; & homo in hominem Deum speciosum præ filijs hominum, decorum & amabilem nimis adeo efferatur, ut pro melle fel, pro lacte absinthium, pro fomentis venenum offerat, ac plusquam ferinâ imò dæmoniacâ rabie in authorem suum debacchetur? O crudelitatis monstrum! ò tyrannidis portentum! ò Deicidium non unâ morte, non unâ gehennâ, non unâ, si dicere fas est æternitate; sed milles millenis mortibus & gehennis mulctandum.

§. 9. *Mundum Iesulo hospitiū apparetur.* Non ità in posterùm ò homo, si quid hominis in te est cum Homine DEO proximè nasciturо agito; sed quod iteratâ monuit sententiâ Chrysologus serm. 1. & 2. de Nativ. *Filium qui tibi natus est, spe magnâ venerare, fide suscipe, amplexare charitate.* Habeat in te, ubi caput suum reclinet; sit illi non tantùm locus in diversorio cordis tui, sed totum ei diversorium cede & consigna. Ambrosium admonentem accipe lib: 2. in Luc: *Filij Dei in terris, ut tu sis in cœlis; ille locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cœlis mansiones.* Nec illius obliviscere, quod Ambrosij Discipulus Augustinus dixit: *Non erat Iesulo, nisi angustia in terris, ut tu locum cordis tui sibi proprium dilatares.* Dilata ergo & præpara cor tuum, ut sit desiderijs augustum, puritate immaculatum. Fridericus Imperator venationibus addictissimus, cùm aliquando in vicinia cujusdam nobilis venaretur, invitatus ab hoc ad prandium est. Acceptavit Imperator & com-

S. August. apud D. Bonaventuram.

paruit, sed nobilis parum ingenuè egit, eò quod hypocaustū expurgari non fecerit, in quod ingressus Imperator, ùt vidit susdeque jacere omnia, miratus primùm, tum indignatus, venationum præfectum adesse jussit inquiens: *En stabulum pro tuis canibus.* Severiùs porrò nobilem increpans: *Si Imperatorem invitare volebas, si non ad divitem, certè mundam domum debebas invitare.* Quo dicto hypocausto excessit, & foris sub Jove frigigido mensam instrui jussit inquiens: *Malo sub cælo, quam in cœno manducare!* Venator animarum nostrarum Iesus cor mundum à nobis unicè requirit, ut in eo hospitetur, uberemque hospitij sui rependat mercedem, mavult certè in stabulo & cœno, quàm obscœno in corde commorari, & cum impurato Dagon componi. Ludovicus 13. in venatione à nobili invitatus ad cœnaculum nudis plenum imaginibus, cùm per unum intrâsset ostium, exiît per alterum: sequebatur nobilis & inclamabat: *Mane nobiscum serenissime Rex* Cui Rex: *Duc ergo ad locum, ubi oculos aperire possim.* Si Rex Christianissimus tantopere obscœnitatem picturarum sensit; quantò magis, qui inter lilia pascitur Iesulus, intolerabiles sibi esse ducet omnes venereas in corde tuo imagines, per quas impietatem Adriani Cæsaris renovas, qui in genethliaco Iesuli præsepio, statuam Adonidis collocavit: Procul vanæ & profanæ imagines, plenum cœlestibus desiderijs & affectibus amoris aureis cor tuum sit, ut veniens Dominus noster Iesus Christus paratam sibi in eo inveniat mansionem.



PHILIPPICA V.

In Adulatores, DOMINICA Infrá Nativitatem:

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. v. 35.

§. 1. S. Simeon non fuit adulator

DIgnum se Sanctus Senecio Simeon illo præconio, quo à Spiritu Sancto donatus & appellatus est *Iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo*; Dignum, inquam re ipsa comprobavit, dum vaticinium de secuturis Iesuli ærumnis, & Matris doloribus sincerè fideliterque protulit, nec palpum obtrudere voluit, ea solummodo proferendo, quæ in solatium & encomium; quin potiùs ea, quæ in dolorem & opprobrium cedere videbantur, annuntiando: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel.* Si adulator fuisset, ruinam certè vel involvisset silentio, vel resurrectioni posthabuisset: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Gladium doloris potiùs prædicit, quàm sceptrum honoris; contra quàm faciant filij sæculi, qui placitura potiùs, quám veritati consona proferre nôrunt: hi enim quia justitiæ timorisque expertes, & Spiritu veritatis vacui, vanitatis autem Spiritu pleni sunt, meras rosas & mella loquuntur, spinas & fel sub rosa servant, laudatores impij, adulatores venenati, positi in ruinam multorum in Israël, nullius verò in resurrectionem. Contra quos divini verbi gladium stringam hodie, ut eorundem obtundam aciem, quâ pungunt, dum ungunt; sauciant, dum svaviari videntur.

§. 2. Laudes dæmonum cur Iesus non ad

Sæpius adulatos Salvatori nostro dæmones fuisse sacri Evangelistæ testantur: quos tamen semper facessere, ac obmute-

mutescere jussit, tum ut doceret ex mente Euthymij in c. 1 Marci. *Nè dæmonibus unquam credamus etiam vera dicentibus*; cùm enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, nunquam vera loquuntur nisi ad fallendum, veritate quasi escâ quâdam utentes. Tum ut nos instrueret, adulationem nunquam admittendam tanquam pestem virtutis, inimicam salutis, exitium Religionis. Elegantissima D. Epiphanij observatio est. Salvatorem nostrum os potiùs dedisse pròditori, quàm aures adulatori, gustâsse fel potius & acetum, quàm delibâsse laudum mel & saccarum; sciebat enim adulationis venenum adeò esse mòrtiferum, ut vel leviter gustatum inficiat interficiatque. Loquatur Epiphanius serm. de lingva: *Seipsum morti sponte obtulit Salvator, & sermonibus mendacis aurem nequaquam præbuit; os suum aperiens acetum cum felle gustavit, qui scelesti verba auribus excipere recusavit. Os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit. Sic & tuum os maledicis osculandum præbe, aures verò minimè: nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit; si aures illis accomodaveris, iam te verborum gustus occidet.*

miserit, sed potius osculo Iuda, & fel.

Adeò lethale adulationis est toxicum, ut non modo pereat, qui saturatus est, sed qui primis duntaxat labijs libavit; habeátque conqueri cum Jonatha: Gustans gustavi modicum mellis & ecce pereo.

§. 3. Adulatione Christum decipi posse dæmon putabit.

Nihilominùs mellitum hoc venenum ità plerosque afficit, ut cùm certum sit ante oculos periculum, non tamen vitetur; sed (quasi necessarium malum & indeclinabilis lues sit) à non invitis admittatur. Damnatur quidem opinione omnium, sed plurium voluntate retinetur. *Habent hoc in se naturale blanditiæ,* inquit Seneca, *etiam cùm rejciuntur placent.* Saulem propter sacrilegam inobedientiam objurgaturus venerat Samuel; sed hunc Saul præveniens blandis verborum lenocinijs, ideo servata meliora hostium armenta esse asserit: *Ut immolarentur Domino Deo tuo.* Ecce caudam vulpinam, ecce lingvam viperinam, quám blandè ungit, ut feriat: *Ut immolarentur*

Senec lib. 4. natural quæst

ventur

1.Reg.5.v.15 *rentur Domino Deo tuo.* Cur non Domino Deo nostro? Ad placandum Samuelem utitur pronomine tuo, dicendo: *Iehovah Eloim tuo.* itàCardinalis Cajetanus: cui adstipulatur pôtifexMaximus Gregorius: *Quid est, quod Deum suum singulariter asserit, nisi quia eum familiarem Dei amicum ostendit.* Adulatur Samueli Saul de intima Dei amicitia, ut ab infligenda eum pœna avertat, & in id tn, in quod prolapsus ipse fuerat, inobedientiæ crimen impellat. Sed prudens propheta reponit: *Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte,* Quasi dicat interprete Gregorio: *Quia me laudas? loqui, tibi dura non possum. Sine ergo, id est, permitte me loqui.* Ergone adulatoria Saulis lingva infascinare & ligare os prophetæ potuit, nè meritas indiceret pœnas? Potuisset omnino devincire, nisi fidelis Samuel adeò celer, & expeditus in rejiciendo incantamento fuisset: *quid me laudas? loqui tibi dura non possum. Sine ergo, permitte me loqui.*

S. Gregor. lib. 6. in 1. Reg. II.

Tanta certè adulationi vis inest, ut eâ everti incarnatam sanctitatem posse dæmon putaverit, ideòq; hasce verborum

Matth. 4. v. 3. blanditias adhibuerit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Non objicit famem ad impetrandum miraculum, sed famam quòd Filius Dei dicatur esse; ut adulatione depravet sanctitatem, atque ad miraculum non necessarium inducat. Obser-

Chrysost. homil. 13. in Matth. vat Veteratoris actum Chrysostomus: *Non dixit: quandoquidem esuris, sed si Filius Dei es. videlicet existimans posse se illi aliquid per laudum blandimenta suffurari.* Ecce genium diaboli, ecce scopû adulationis! *Idcirco nôn commemoravit esuriem, nè hoc ei quasi exprobrare atque objcere videretur.* Sed cùm simplex dæmon fallere divinam sanctitatem non posset, nec duplici alia tentatione superior evadere, dissimulavit tantisper factum, & opportuniori usus occasione, assumptisq; compluribus alijs dæmonibus, validissimo denuò usus est adulationis jaculo ad virtutem Christi sauciandam. Coram turbis enim altâ voce ex-

Marci. 1. v. 24 clamavit, & Sanctitatem Domini ebuccinavit. *Scio quis sis Sanctus Dei,*

Luc. 4. v. 41. *exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es*

tu es filius Dei. Non dicit ampliùs dæmon, *Si filius Dei es.* sed *Tu es Filius Dei,* ut magis adulando, plus noceat. *Credidit infelix,* inquit Chrisologus, *ut eum, quem tentatione vincere, quem muneribus inflectere nequivit, posset adulatione pulsare.* Sed repulsus à Iesu, indictoque severo silentio facessere jussus est: *Increpans non sinebat ea* (dæmonia) *loqui* Luc. 6. v. 41 Increpa adulatorem & abige; Si abigere & os illi obserare non vales, aures tu tuas obtura, nè imprudentior serpente, & aspide surdâ sis, quæ obturat aures suas ad vocem incantantis.

Audivimus adulantes Christo dæmones, audiamus & homines. Matth. II. Scribæ & Pharisæi accessisse ad Iesum describuntur, & miraculum aliquod postulâsse, ut genium suum tentatoris genio non absimilem demonstrarent: *Magister volumus à te signum videre.* Quibus ille severum reddit responsum: *Generatio prava & adultera,* ut indicet ex diabolica eos esse progenie, sicut priùs dixerat: *Vos ex patre diabolo estis.* Joann. 8. v. 44. Lingva, nimirùm illos manifestos facit, quâ sint ab origine nati. Serpentinam habent lingvam blandiuntur more serpentis in paradiso, ut noceant. *blandiri* enim verò *ut noceat,* inquit Chrysostomus hom. 13. in Matth. *diaboli; est, corripere verò, ut prosit, Dei.* Adulatoris lingvam, vocavit Diogenes apud Laërt. lib. 6. *melleum laqueum*; Augustinus verò sent. 137. *diaboli laqueum*: adulantium linguæ alligant animas in peccatis; delectat enim ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. nocent adulatores, dum laudant temerarios quasi generosos, avaros quasi providos, libidinosos quasi affabiles, desides quasi præclarâ indole præditos, rebelles quasi bono publico natos. *Blandiri, ut noceat, diaboli est.* Cùm Angelus à Deo missus salutaret Nazarethanam Virginem, ac gratiâ plenam, Domino conjunctissimam, in mulieribus benedictam appellaret, turbata est Virgo prudentissima, & *Cogitabat, qualis esset ista salutatio,* an nô serpentinus fortè foret sibilus ad intoxicandum cor virgine- Luc. 1. v. 29.

§. 4. Adulatio est scelus diabolicum.

um emiſſus, quia blandiri, ut noceat, diaboli eſt. Neceſſe proinde habuit bonus Angel9 confortandæ virgini nomen illius proprium, quod reverentiæ causà prius ſubticuerat, pronunciare, ut bonum ſeſe Angelum demonſtraret; á malo enim nuſpiam in ſcripturis legitur nomen MARIÆ pronunciatum fuiſſe, ſicut nec legitur nomen Hevæ á Deo (quia ab adulatore ſe circumveniri paſſa fuerat) unquam fuiſſe prolatum. *Ne timeas Maria inveniſti enim gratiam apud Deum.* nè timeas, non ſunt hæc fallentis verba (verba ſunt Andreæ Archiepiſcopi Solymæi apud Lippomanum 25. Martij) non veni, ut te decipiam, non loquitur tibi fallax ſerpens, è terra tibi non loquor, ſed bonum ex altiſſimis nuncium affero. ſingulari defenſione Arhangelus opus habuit, nè propter prolata verba laudis, malè audiret apud Angelorum Reginam, quæ primæ virginis in paradiſo turpiter deceptæ memor, noluit laudibus credere, nè dum gratiâ plena dicitur, gratia evacueretur, & á Domino elongaretur, dum eſſe cum ea Dominus prædicaretur, aut maledictionis incurreret periculum, dum benedici ſe ſupra mulieres audit; ita cautæ ſunt omnes animæ prudentes, nè peccatoris oleo impinguentur, & virtutum verarũ oleum è vaſis ſuis deperdant. *Oleum peccatoris non impingvet caput meum*, Orat David. pſ. 104. v. 5. *Quid eſt oleum peccatoris, niſi falſa laus adulatoris, hoc eſt oleum peccatoris.* Inquit S. Auguſtinus, ab hoc oleo impingvari timent, quotquot cum prudentibus virginibus & virginum prudentiſſima, oleum & operam perdere nolunt.

§. 5. *Adulatorum tituli.* Audio ſacros profanosque oratores verbis ſenſatiſſimis, paraſitorum nequitiam perſtringere, varijſque adumbratam ſchematis in lucem protrahere veritatis: *Pulchrè adulator apud Philoſophos definitur: blandus inimicus,* Inquit contra Jovinianum Hieronymus; ſed hæc definitio nimis blanda eſt. Ranam inſolentem, chamæleontem ſubdolum, hyænã crudelem, pardum immanem vocat adulatorem Plinius l. 8. c. 33. ranæ inſolen-

ſolenter vocales imminentem annuntiant tempeſtatem, adulatores rerumpublicarum ruinam; chamaleon omnem imitatur colorem præter candidum, adulator omnem turpitudinem, ſolam imitari neſcit honeſtatem; hyæna vocem humanam imitatur & nomen alicujus addiſcit, quem evocatum lacerat, blanditur adulator obſequio, donec in perniciem trahat; pardus odore, adulator ſvaviloquelâ homines allicit, ut perdat. *Adulator ſcorpio eſt* inquit S. Gregorius l. 1. c. 9. in Ezechiel: *Qui palpando incedit, ſed caudâ ferit.* Lupis ſimillimos dicebat aſſentatores Rex Alphonſus apud Panormit. Lib. 3. quemadmodùm lupi titilando & ſcalpendo aſinos devorant, ità paraſiti blanditijs in perniciem principem trudunt. Aſſentatores pediculis aſſimilat Plutarchus lib. de adulat. nã ſicut hi corpora extincta deſerunt ſtatim, ùt ſanguis, quo alebantur, evanuit, ſic illi eos, quorum res perit, effugiunt. Plato veneficos vocat (in Phœdro) & impuros dæmones, qui animos incautos infeſtis epulis fovent. Tineas & ſorices palatij ſui nominare Conſtantinus Magnus ſolebat, quia viliſſima quæque rodunt. Acutè Diogenes in duplici græco vocabulo Korax & colax luſit, quorum illud *corvum*, hoc *aſſentatorem* ſignificat, monuitque ſatius eſſe incidere in coraces corvos, quám in colaces adulatores; hi enim præ corvis nocent, quia oculos non corporis, ſed animi eruunt. Favet Diogenis acumini Chryſoſtomus in Polycratio c. 3. *Adulator omnis virtutis inimicus ſub amantis ſpecie nocere non deſinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud lumen, quod adeſſe videbatur, extingvat.* Arriſores arroſores, ait Seneca ep. 27. & quod his conjunctum eſt, deriſores. Impegit Sigiſmundus Imperator adulatori ſuo à quo dijs æquiparabatur, ſonantiſſimum colaphum, cùmque is quereretur: *Quid me cadis Imperator?* Reſpondit Sigiſmundus: *Quid me mordes adulator?* nè credas tuis adulatoribus, monet ſcitè Ruſticum D. Hieronymus, qui cùm te adulationibus foverint, aſini auriculas poſt te agitant, aut cico- *Æneas Sylvius lib. 2. de geſt. Alph.*

niarum colla curvant, aut æstuantis canis protendunt linguā. Antigoni Regis votum erat in sacrificijs, teste Maximo serm. de amicit. *Servate me ab adulatoribus Dij, ab inimicis apertis servabo meipsum, ab amicis fucatis non possum mihi ipsi cavere, sed Deo protectore opus est.* Adulatores vocat Phavorinus Philosophus canes Actæonis,, qui lautè nutriti Dominos suos discerpunt. *Quemadmodum Actæon à canibus quos ipse enutrierat, dilaceratus fuit; itá adulatores, hos qui ipsos alunt, evertunt.* Baculum his canibus, non escam. Hirundinibus eosdem assimilat Petrus Dami. ep. 33. quæ non unum excæcârunt Tobiam: *Quid leviter volantes hirundines, nisi leves adulantium, & blandos loquentium significant mores? qui dum blandiloquii sui svavitate demulcent interiores oculos, nè solita luce perfruantur, excæcant.* Effuga ejusmodi hirundines, quæ non nisi relicto in oculis tuis *puncto vale* aufugiunt, cùm asperior adversitatis hyems ingruat. Hugo Carensis adulatores vocat tonsores, ad illud ps. 51. sicut novacula acuta fecisti dolum. Sicut tonsor priùs aquâ tepente & smegmate utitur, ut mulceat, dein novaculâ ut rapiat; itá adulator priùs ungit, antequam emungat, & abradat non pilos tantùm & externa bona, sed virtutes & animæ ornamenta: *Aqua tepens præcedit rasuram, id est, adulatio; molliti sunt sermones eius super oleum, ecce tepefactio. & ipsi sunt iacula, ecce rasura.* Eradantur huiusmodi rasores de terra viventium, nè tot radant & proscindant, pejus quàm legati Davidici á Rege Hannon rasi fuerint, inque regionem mortuorum deturpatos deturbent, non facilè ad vitam cum Lazaro resuscitandos.

§. 6. *Adulatorum fautores appellantur à Christo mortui. Clemens Alexand lib. 3. Stromat c. 2.*

Tres mortuos resuscitâsse Christus legitur, quartus licet insinuatus á candidato discipulo (quem Philippum fuisse Clemens Alexandrinus autumat) gratiosè fuerit: *Domine permitte me primùm ire & sepelire patrem meum.* Matth. 8. & Luc. 9. nihilominùs resuscitatus á Christo non est, imò nec parentare permissus adolescens vetante Domino: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Cur supremum parenti obsequium obire filius nō sina-

sinatur, causam duplicem reddit Ambrosius: *Ideo prohibetur, ut discipulus suus sepeliat patrē suum; quia æterno patri sine cessatione debet esse intentus. Non revocatur ab officio Patris filius, sed fidelis á perfidæ cōmunione secernitur.* Periculum perversionis Magister cœlestis prævidit, præcavitquè, quod adolescenti vel ab umbris paternis imminebat, ita; nimirùm omnis periculorum umbra reiecto quovis pietatis prætextu est timenda. Demus tamen á perfidia mortui nullum imminuisse periculum, imminebat sive à testamenti executione, ùt vult Chrysostomus (*Erat verisimile post patris sepulturam ad testamenti legislatorem deventurum, & hæreditatis divisionem; deinde in aliud ex alio quasi undarum fluctibus distractus procul á portu salutis iactaretur*) Sive ùt ingeniosiùs notant alii imminebat grande salutis discrimen, ex adulatorum blanditijs, quas tanquam consolatores in funere & funebri panegyri erat habiturus. Quin & ex eadem causa quartū hunc mortuum Iesus non revocavit ad vitam, quia adulatoris typum exprimebat, sicut Lazarus peccatoris inveterati, filius viduæ in Naim peccatoris notorij, filia Archisynagogi peccatricis occultæ figuram gesserant. Omnes hi peccatores facilè à benignissimo Salvatore reddentur luci, solo illo excepto, qui laudibus & adulationibus dementatur, ut veritatem & verba salutis minimè percipiat. Assertio hæc Magni Gregorij est lib. 4. Moral. c. 29. *Quartum verò mortuum Redemptor noster nunciante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat, quia valde difficile, ut is, quem post usum malæ consvetudinis etiam ad ultimùm adulantium lingvæ excipiunt, à mentis suæ morte revocetur. De quo bene dicitur: Sine mortuos sepelire mortuos suos: Mortui enim mortuos sepeliunt, cùm peccatorem favoribus premunt.* Ita ad verbum pontifex. Premitur ab adulatoribus, imò opprimitur laudatus, etsi ultrà tertium cœlum evehi laudibus videatur. *Duo sunt genera persecutorum,* inquit Augustinus apud Sylveiram lib. 6. in Evang. c. 21. q. 4. *Vituperantium & adulantium: plus persequitur lingva adulatoris, quàm manus interfectoris.* Grandius ergo homicidio pec-

S. Ambros. in ps. 48. & lib. 7. in Luc.

S. Chrysostom. homil. 78.

catum

catum adulationis est, ob quod tantum Deus exardescit in iram, ut exacerbari â psalte dicatur ps. 9. v. 4. *Exacerbavit Dominum peccator, secundùm multitudinem iræ suæ non quæret, non est Deus in conspectu eius:* ecce ectypon adulatoris. *non est Deus in conspectu eius.* atheus est, quia vindicem scelerum non agnoscit, dum scelera approbat in laudato. hinc illa divinæ iræ multitudo, ut non quærat Deus corrections medium, sed correptionis flagellum. exacerbavit Dominum adulator, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ.*

§. 7. *Adulatores cavendi.* Execremur proinde omnes assetatores, eôsq; cane pejus & angue fugiamus. *Cavendum præsertim*, Ait D. Synesius l. de regno, *Idque totis animi viribus, ne incautis obrepat adulatio, sola quippe hæc imperium animæ depredatur.* Dæmonem audire te puta, cùm laudem adulantium audis, nam ùt ad Blancam comitissam scribit Petrus Damianus: *Sæpe malignus Spiritus velut avis in ramo arboris, sic in lingva ponitur adulantis. Tu autem obtura aures malè svadentibus Sirenibus & Scyllæ voraginis prudenter evade naufragium: Sicque cor tuum in Sancto proposito terror judicij figat, ut nequaquam ventus assentatorii favoris hinc evellat.* Nescio, quî salutem & vitam sperare possit, qui adulatorum familiaritate delectatur. *Teterrima pestis urbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consvetudo, adolescentibus exitium, domibus ruina, monasteriis eversio, Christianæ religioni extrema calamitas, omniumque malorum seminarium & origo.* Ita Philo Carpathius in cantica apud Baëzam tom. 5. L. 16. c. 123. p. 26. Fuge adulatorum lingvam, ut effugias gladium doloris, eam enim si omni consilio industriâque paveris ac caveris, tuam ipsius animam doloris gladius non pertransibit.



PHI-

PHILIPPICA VI.

In persecutores viduarũ & malè moratas Viduas.

DOMINICA EADEM.

Et hæc vidua non discedebat de templo Luc. 2. v. 38.

§. 1. *Singulari affectu in Viduas fertur Deus.* OBservavi in toto sacrarum paginarum contextu, nullam omninò viduam probro aliquo notari; quoties verò viduæ alicujus occurrit mentio, ferè semper exornari laudibus, vel ob singularem prudentiam, ut Thamarem Gen. 38. vel ab eloquentia, ut Thecuiten 2. Reg. 14. vel ab hospitalitate, ùt Sareptanam Eliæ Hospitem 3. Reg. 17. vel â castimonia, ùt Juditham c. 8. v. 4. vel à singulari pietate, ùt hodiernam octogeneriam Luc. 2. v. 37. vel à munifica pietate, ùt viduam pauperculam, quæ duo minuta mittendo in gazophilacium *Plus quàm omnes misit.* Luc. 21. v. 3. vel à luctûs modestia, ùt viduam in Naim, cui lacrymas dulci biverbio piissimus JESVS abstersit. *Noli flere.* Nimirùm non judicẽ tantum viduarum sese Deus nominat. ps. 67. v. 6. verùm etiam susceptorem, tutorem, benefactorem: *Pupillum & viduam suscipiet.* ps. 145. v. 9. *Firmos faciet terminos viduæ.* Prov. 15. v. 25. *viduam eius benedicens benedicam.* ps. 131. v 15. *Multiplicatæ sunt mihi viduæ* Jerem. 15. v. 8. *Viduæ tuæ in me sperabunt.* Jer. 49. v. 11. Benè sperent viduæ, si verè viduæ sunt, pessimè timeant omnes viduarum osores, si verè ejusmodi sceleris rei sunt; causam & huius timoris, & illius spei de præsenti dictione colligere licebit.

§. 2. *Psalmus 108. in persecutores viduarum compositus videtur.* Inter gravissima mortalium scelera in divinis literis numeratur contemptus & persecutio viduarum. Hinc illæ næniæ *Causam viduæ non iudicaverunt* Jerem. 5. v. 28. *viduæ non misc*

rabun-

rabuntur Baruch. 6. v. 37. *Pupillum & viduam contristaverunt.* Ezech. 22. v. 7. nec nisi desperatissimorum nebulonum ea est resolutio: *Non parcamus viduæ* Sap. 2. v. 10. At non parcet vicissim illis vindex DEI oculus, cujus pupilla læditur, cùm vidua læditur; de viduis namque ad literam dictum intelligo: *Qui vos tangit,* o viduæ! ò pupillæ! *Tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. v. 8.

Contra viduarum hostes compositus præcipuè videtur imprecatorius ille psal. 108. In quo quidquid dirarum dici potest, in caput illius congeritur, qui persequitur hominem inopem (qualis vidua potissimù inops consilij auxiliìque) & compunctam corde mortificat, addens afflictionem afflictæ. Quare, ut talionem sentiat, rogat Zelotes iustitiæ: *Fiant filii eius orphani, & uxor eius vidua, nutantes transferantur filii eius & mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis, non sit illi adiutor, nec sit, qui misereatur pupillis eius* v. 9. 10. 12. Hæc est justa lex talionis, quam sancit DEUS Ex. 22. v. 21. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.* Timeat uxori suæ & prolibus, quicunque viduarum persecutor est, in viduitatis enim statum uxorem, atque ad egestatis baculum proles suas redigit, cùm viduas impetit. Patietur idem brevi uxor ejus ab alijs, quod nunc impiè in viduas molitur & audet! Quin & ipse sibi viduomastix timeat: clamant enim contra illum, ut hæc quatuor quantocyùs eidem eveniant, quæ nominato psalmo v. 6. 7. 8. consignantur. *Diabolus stet à dextris eius,* Quia omnia viduarum dicta & acta sinistrè interpretatus est; judicetur, exeat condemnatus, quia vix auditam pro judicio viduam condemnavit. *Oratio eius fiat in peccatum;* Quia orationes viduæ audire noluit, sed maledictis eam proscidit & imprecationibus devovit; *Fiant dies eius pauci,* Qui cor viduæ arrosit & vitam morte acerbiorem reddidit; *Episcopatum eius,* Magistratum, & quo-

cunquæ officium *Accipiat alter,* Quia inofficiosus & barbarus in viduas fuit. Proh quot diris sese implicat, quantasque Numinis iras in caput suum & suorum accersit, qui persequitur viduam, & mortificat compunctam.

§. 3. *Cur ubique gentium viduæ affligantur.*

At cur obsecro tanta ubique pœnè gentium ac locorum rabies in viduas, & coniuratio, & persecutio? nimirum quia viduæ turtures sunt inermes, hinc tanti ad easdem deprædandas animi, & expediti ungves vulturibus. Quia viduæ oviculæ sunt balantes, hinc dentiunt lupi, & insanâ fame carnes earum sive substantiolam appetunt; quin, ùt Incarnata dixit Veritas, carnibus solis non contenti *Devorant domos viduarum.* *Marc. 12. v. 40.* Sunt viduæ præda pravorum judicum, prout Alphonsum Arragonum Regem proverbio dicere accepimus; at verò pravi judices præda sunt dæmonum. Væ qui viduas prædaris, nonne & ipse prædaberis? sint licèt inermes turtures, at suo se gemitu tuentur; sint licèt imbelles oviculæ, at balatu suo curam Pastoris provocant, ut animam suam ponat pro ovibus suis, & virgâ suâ tanquam judex, & baculo tanquam vindex in prædones lupos agat. Audacter Pastori suo dicat vidua. *Ps. 22. v. 4.* *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt;* His enim nō contra me, sed pro me decertas, & discernis causam meam. Gemitus & balatus vester, innocentia & patientia vestra, vestræ lacrymæ & gemitus, ò viduæ! omnibus adversariorum vestrorum armis, fraudibus, molitionibus longè potentiores sunt, non modò ijsdem retundendis & in gehennæ pavimentum deturbandis, sed cœlo ipsi expugnando, invictasque inde exciendo suppetias. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt & exclamatio eius super deducentem eas?* Eccl. 35. v. 18. Non spernit viduarum preces Deus, sed aspicit, audit, miseretur ùt pater; indignatur verò, vindicat, percutit adversarios ùt Judex viduarum. Descendunt quidem viduarum lachrymæ ex oculis in terram, at de terra in cœlum clamant & vindictam extorquent. Silet viduæ lingva, sed oculi loquuntur & gran-

dia vocis pondera in aures divinæ iustititiæ adversus oppressores iniquos emittunt. Pergit Siracides: *A maxilla enim ascendunt usque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Sint lachrymæ pœnitentium, vinum Angelorum; at lachrymæ viduarum, sunt indignatio & furor Dei atque cœlestium geniorum; adeò non delectantur illis, ut gravissimè offendantur, indignentur & excandescant in eos, qui suâ injustitiâ eas eliciunt. Sunt hæ lachrymæ ùt vapores, inquit Pineda in c. 4. Eccles. qui è terra excitati densantur in nubes, ignescunt in fulgura, cuduntur in fulmina, grandescunt in grandines, solvuntur in pluvias; ità viduarum lachrymæ concrescunt in nubes supplicijs enormibus gravidas, quibus oppressores scelesti opprimantur. Nihil æquè iram divinam inflammat, ignes cælo provocat, incendia suppliciorum suscitat, sicut lachrymæ viduarum.

§. 4. *Mina divina.*

Audivi aliquando sceleratorum ejusmodi persecutorum aliquem cum cachinno jactare: *Viduæ spongia nostra sunt.* Quorum fortunas & opes á se scitè exprimi insinuabat. At heus immanis nebulo; tu! tu! spongia dæmonis es, de qua rursum exprimet, quidquid è viduarum fortunis extortum est. Expressisti cochlearia argentea, annulos aureos, monilia gemmata? imò expressisti amaras lachrymas & magnam vitæ portionem, quæ lachrymæ in flumina flammata ad absorbendũ te, in fulmina trisulca ad feriendum te, in romphæas ignitas ad dissecandum te convertentur.

Quàm tremenda sunt illa irati Numinis in oppressores viduarum non tàm verba quàm fulmina: *Incrassati sunt & impingvati & præterièrunt sermones meos pessimè, causam viduæ non indicaverunt; causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicaverunt nunquid super his non visitabo dicit Dominus? Aut super gentem huiusmodi non ulciscetur anima mea?* Jerem. 8. v. 28 & 29. Væ incrassatis hiscè & impingvatis de viduarum substantia, orci victimis & dæmonum spongijs, quàm durum eos judicium, quàm

quàm severum manet supplicium apud judicem viduarum. Agnovit docuitque divinus Plato l. 12. de legibus: viduarum causas proprias esse Dei; ac proinde neminem debere easdem affligere, nè Deum ultorem & hostem sentiat. Flagellatus est cœlitùs impius ille Heliodorus, quod ex Templi ærario viduarum bona diripere destinâsset 2. Mach. 3. quantis digni erunt flagris, imò scorpionibus, qui viduas expilant atque ad incitas redigunt, non minoris flagitij rei, quam si templa & aras sacrilegè spoliâssent. Viduas enim *Altare Dei*, divus Martyr Ignatius appellat, quòd in ijs per beneficentiæ hostias coli & placari amet Deus, irritetur verò gravissimè, si pro his aris non stemus, sed sacrilego scelere easdem impetamus & dirutum eamus. Et sicut defensores viduarum maximè propitium sperare habent Judicem, etsi multis alijs peccatis sordeant, juxta illud Evangelici vatis oraculum: *Defendite viduam & venite & arguite me, dicit dominus, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Is. 1. v. 17. & 18. Ità viduarum oppressores, quantumvis nescio quibus alijs emicare videntur virtutibus, inter ethnicos nihilominùs & atheos tanquam religione immundâ & virtutum omnium fundamento destituti in die novissimo numerabuntur. Nam teste Iacobo Apostolo: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Nihil sibi omnes virtutes profore Job agnoscit, si oculos viduæ expectare fecisset. *Iacob. 1. v. 27.* *Iob. 31. v. 16.*

§. 5. *Vidua violentiam caveat.*

Sufficiant ista Viduarum persecutoribus, ut sua ab injustitia atque impietate desinant, nec ultrà Deum viduarum judicem irritent. Nunc & de viduis ipsis breviter aliquid dicamus sunt enim nonullæ solo nomine viduæ, virtutibus verò viduitatem sanctam decentibus omnino viduatæ, quas Apostolus discernit 1. Tim. 5. v. 3. 5. 6. 11. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Quæ verè vidua est & desolata speret in Deum Quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Vivens non vivit, sed in vivo corpore mortuam circumfert animam, quæ luxui indulget. Quid juvat pictura-

tis abſtinere veſtibus & animum quibuslibet paſcere vanitatibus? quid juvat luctum oſtendere in corpore, luxum fovere in corde? quid juvat frigidas ſuper mortuo marito effundere lachrimas, infundere verò pretioſa vina, in quibus eſt luxuria ſub ſpecioſo illo lenocinio: *Date ſicerã mœrentibus, & vinũ his, qui amaro ſunt animo.* Iuditham, viduarum ſine macula ſpeculum, & virtutum omnium ideam proponit D. Ambroſius l. de viduis audacter aſſerens, ſi vinum bibiſſet, ex inculpata vidua in fædiſſimam mœcham fuiſſe pervertendam: *Advertitis quantum nocere poſſit mulieribus ebrietas, quando viros vina ſic ſolvunt, ut vincantur à fæminis: Eſto igitur vidua temperans, caſta primùm à vino, ut caſta poſſis eſſe ab adulterio. Nequaquam te ille tentabit, ſi vina non tentent.* Nam ſi Judith bibiſſet, dormiſſet cum adultero. Hæc Ambroſius. Nihil ſub ſole turpius vinoſâ viduâ. *Contumelia & turpitudo eius non tegetur.* Eccl. 26. Vnam de filiab[9] Belial meritò vinoſam appellavit pijſſima Samuelis Mater Anna, eſt enim abſque jugo pudoris & lege honeſtatis. Vinoſam, ùt adulteram, teſte Gellio l. 10. c. 23. puniebant Romani, quia ùt Valerius Maximus loquitur l. 2. c. 1. *Proximus à Libero Patre intemperantiæ gradus, ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit.* Vivens mortua eſt, quæ vino & ebrietati addicta eſt, idemque cum Zenone meretur ſepulchrum. *Quid ebriâ turpius muliere,* Ingeminat Orator Antiochenus, *Quantò namque vas eſt imbecillius, tantò maius eſt naufragium.* Temulentiam earum *Sacrilegium* vocat Hieronymus, & vinum tanquam venenum molliori ſexui monet cavendum: *Si quid in me poteſt eſſe conſilii, ſi experto creditur, hoc primùm moneo, hoc obteſtor, ut ſponſa Chriſti* (idem dic de vidua) *Vinum fugiat pro veneno.* Nec vino tantùm ſed & carnibus, abſtinere vult viduas purpuratus Dalmata, ſcribens ad Salvinam viduam: *Comedant carnes, quæ carni ſerviunt, quæ maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam, Tu vero, quæ in tumulo mariti ſepeliſti omnes pariter voluptates, nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeverare in ieiunio.* Jejunium inculpatas reddit viduas,

Prov. 31. v. 6.

S. Chryſoſtomus homil. 16 in Matth. & Serm. 71. ad pop.

S. Hiero. ad Euſtoch.

duas, ùt Juditham; Formoſas, ùt Noemi; dilectas DEO hominibusque, ùt Annam prophetiſſam.

Jejunio jungatur oratio; quam in viduis efficaciorem eſſe dixerim, atque in quovis alio hominum genere ex illa Salvatoris noſtri parabola Luc. 18 à v. 3. de vidua, quæ iniquiſſimũ judicem, Dei hominùmque contemptorem, permovere continuâ ſuâ interpellatione potuit ad cauſam audiendam, ſententiámque ex voto viduæ ferendam. Cur viduam ſupplicem Salvator potiùs inducit, quam Virginem, quàm conjugem? Scio reſpondere Auguſtinum, quia Eccleſiam repræſentat, quæ deſolata videtur donec Chriſtus ejus Sponſus è cœlo redeat ad judicium; Nec ignoro per viduam à Theophylacto accipi pœnitentem animam, quæ virum priſtinum, id eſt diabolum, excluſit, ob hoc ei adverſantem, quòd ad Deum accedat; Sed perplacet aliorum opinio: viduam præ virgine ideo aſſumptam fuiſſe, quia viduæ deprecatio, eò quòd á deſolata & humili procedat, orationibus aliorum longè eſt efficacior. Oratio viduæ, ſub viduitatis facta nomine: *Heu mulier vidua ego ſum,* Davidem ita flexit, ut parricidam filium in priſtinos reciperet amores. Interpellatio viduæ Trajanum Imperatorem alloquentis: *Aut ius dicito, aut Imperator eſſe deſinito,* itá permovit, ut negotijs omnibus amotis, jus viduæ diceret. Ad ſuppetias cœleſtes certiſſimò impetrandas, præſentiquæ vitæ & fortunarum diſcrimine Hebræum populum liberandum, viduæ titulum Juditha interpoſuit: *Subveni Deus meus mihi viduæ!* c. 9. v. 3. Proh quàm potens eſt viduarum oratio. *Ora ergo,* monet viduam, Probam nomine, S. Auguſtinus, ep. 121. *Ora ergo ùt vidua Chriſti, nondum habens eius conſpectum, cuius precaris auxilium, & licet ſis ditiſſima, ſicut pauper ora; nondum enim veras futuri ſeculi divitias habes, ubi nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes, numeroſamque familiam, ſicut deſolata ora: incerta enim ſunt omnia temporalia etiam uſque in finem vitæ huius in noſtram conſolationem manſura.* Conſolatio viduæ & vita eſt oratio, ſinè qua vivens mortua eſt.

§. 6. Orationi intendat.

S. Aug. l. 2. qq. Evangelic.

2. Reg. 14. v. 5.

§. 7. *Solitudinem amet.* Vt porrò crebriùs ferventiùsque oret, solitudinem amare & frequentiam hominum fugere necesse est: *Noli in publicum subinde procedere,* monet Furiam viduam Hieronymus, *quid facit vidua inter ministrorum greges?* impudicitiæ suspectam se reddit, quæ in omnibus urbis plateis & angulis, quasi venalem circumfert pudorem, spectandam se præbet. *Castitas solitudinem quærit,* Verba S. Ambrosij l. de viduis, *Pudica secretum, impudica conventum.* Prima laus viduarum Paulæ Romanæ, Blesillæ, Melaniæ, Marcellæ apud Hieronymum, Olympiæ nobilissimæ viduæ apud Chrysostomum, Gallæ Symmachi filiæ apud Gregorium Magnum solitudinem amavisse. Nimirum vidua út lilium sit, spinas amet solitudinis: *Sicut lilium inter spinas;* Vt turtur sit, gemat solitaria, ut canant de ea Angeli: vox turturis audita est in terra nostra. Quænam illa Angelorum terra? Nî fallor desertũ est, ubi Christo ministrant Angeli occinuntq; illud: ô beata solitudo! ô sola beatitudo! ut vidua gẽma & thesaurus sit, abscondi amet; thesauro enim absconditо viduitatem assimilari, in eo audimus Evangelio, quod de Sanctis viduis legi solet. Denique ut verè vidua sit, Annam hodiernam imitetur, de qua brevibus multa S. Ambrosius cit. Cuius diversorium erat in templo (quidni in templo; cùm viduam altare Dei dixerim ex Ignatio) colloquium in prece, vita in ieiunio. Ita vivant viduæ, colloquantur, diversentur, & exeunt omnes Annæ coram DEO, hominibusque gratiosæ.

S. Hieron. ep. 96.



PHI-

PHILIPPICA VII.

In Immorigeras proles.

DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Erat subditus illis. Luc. 2. v. 51.

§. 1. *Formam obedientiæ ex se Christus dat.* PRæclarè personas suas in scena Evangelica obière Mater & Filius, IESUS & MARIA. Mater paucorum semper verborum (quia unius Mater Verbi) primas sibi dicendi partes præ Iosepho sumpsit, quia præ hoc plus juris in Filium habuit, & plus dilexit, ideoq; de Dilecti absentia plus indoluit, *Fili quid fecisti nobis sic?* Vox hæc turturis est, & gemendo increpat, & gemit increpando: *Quid fecisti nobis sic?* Quasi dicat, prout exponit Timotheus presbyter: Cur interrogas, & doces, qui nondum literas didicisti? Cur pro sapientiæ Doctore te geris? Cur invidiam adversus te concitas? Cur me unigenito meo orbare vis? Ecce ardentibus oculis te undique aspiciunt, jam dentibus suis strident, tanquam veræ bestiæ, quæ adversus Agnum tenerum moventur. Hucusque Timotheus. Bene ergo maternum Virgo munus obivit. Sed & Filius partes omnes, & numeros, cúm pietatis Deo debitæ, tùm obedientiæ parentibus præstandæ implevit, quando maternis verbis modestissimè reposuit: *An nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse;* Vt insinuaret obediendũ Deo magis, quam hominibus, cum id divina exigit gloria, ac voluntas. Repugnandum nonnunquam parentibus est, cùm hi divinæ repugnare videntur ordinationi; nam *Non es eius cui nata es, sed cui renata, qui amat patrem aut matrem plus quam me,* non

Biblioth. P p. tom. 4. in fine Orat. de occursu Domini.

Hieron. epist. ad Helioth Matth. 10. v. 37.

non est me dignus. Fugiat duodennis Martinus invitis parentibus ad baptiſmum, ut ſacratiore regeneratione in divinam tranſeat filiationem. Fugiat tredecennis Thomas Aquinas ad religionis cœlum calcatâ tellure, ut Deum habeat patrem, Angelos fratres. In alijs verò omnibus, quæ divinæ non repugnant voluntati, parendum omninò parentibus eſt Incarnati Dei exemplo, qui *Erat ſubditus illis*, Quis? quibus? Deus hominibus, Creator Creaturis, Rex ſervulis; ut non erubeſcat humana ambitio ſubdi parentibus, cùm ſubditum videt Filium Dei. *Formam obediendi, puer IESVS, pueris ſanctis tradidit, ſequi illos in Nazareth non deſpexit, Magiſter Diſcipulos, Deus homines, Verbum & ſapientia, fabrum & fœminam.* S. Bernardus ſer. 19. in Cant. Aptiſſimè Ambroſius in C. 18. Luc. *Honora parentes tuos, quia ſuos Dei filius honoravit. Legiſti enim: Erat ſubditus illis. Si Deus ſervulis, quemadmodum tu perentibus?* Contra quod Dei exemplum & præceptum, cùm paſſim á malè moratis prolibus graviſſimè peccari videã, agam in pervicaces eiuſmodi liberos quantâ potero libertate, ut ab effræni eoſdem contumacia ſub ſuave debitæ ſubiectionis iugum adducam.

§. 2.
Cur immorigeri filij lapidari jubeantur.

Ad obedientiam parentibus debitam, liberos commonefaciens Paulus iſta ſcribit Eph. 6. v. 1. *Filii obedite parentibus in Domino: Hoc enim iuſtum eſt.* Lege cùm naturæ, tùm Moyſis docemur parere, quia ſic vult Deus, ſic ratio exigit, ſic naturalis docet inſtinctus. Ideo primum ſecundæ tabulæ præceptum eſt de honorandis parentibus, ſicut primum primæ erat de honorando Deo; quia parentes Deum Conditorem, út ait Philo, repræſentant. Si Dominis obediendum eſt, multò magis parentibus; ſunt enim Domini, acceperuntque naturale Dominium in liberos ab ipſomet Deo? *Qui timet Deum, honorat parentes, & quaſi Dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt.* Eccl. 3. v. 8. Ideo prudenter Rachel patrem ſuum etſi idololatram, furiarum plenum, cædiſque avidum Domini titulo appellat: *Ne iraſcatur Dominus meus, quòd coram te aſſurgere nequeo* Gen. 31. v.

35. ſi præceptoribus, ſi magiſtratui, ſi belli ducibus obediendum eſt, multò magis parentibus, qui inſtruunt, alunt, defendunt proles, pro ijsque cum tot curis, laboribus, doloribus, ærumniſque conflictantur, ut plerumquè vitam ante tempus amore liberorum prodigant. cùm è contra immorigeræ proles vix aliud mereantur, quám ut parentum ſuorum ſepulchrales agant lapides, quos inobedientiâ ſuâ ad immaturum perduxêre ſepulchrum. Mandavit Deus contumacem Filiũ lapidibus obrui. Deutor. 21. à v. 10. ad 21. *Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* Cur hoc potiùs, quam alio mortis genere immoriger plectitur filius; Lapidib⁹ obruatur, quia lapidibus durior eſt, hi enim patiuntur in omnem ſe aptari figuram, prout murario libuerit; patiuntur pedibus ſe trudi, malleis confringi, & quo loco ponuntur, eodem quieſcunt; non ſic immorigeri filij. Lapidibus obruatur, quia blaſphemorum propria pœna hæc eſt; immoriger autem in parentem, plerumque blaſphemus eſt in Deum. Lapidibus obruatur, ut ſi taceant homines, loquantur lapides, & ingrati filij ſcelus poſteris propalent. Lapidibus obruatur, quia fuit lapis offenſionis, & petra ſcandali, & cordis lapidei ſimulacrum. Lapidibus obruatur, quia ſicut ab hominibus calculo comprobationis condemnatur, ità à Deo abiectus & non ad fabuloſum Siſiphi Saxum, ſed ad aſinariam, ſub qua æternùm prematur, molam adjudicatur. Lapidibus obruatur, ut ſit ipſe in ſepulchralem lapidem, ſub quo contumacia tumuletur.

§. 3.
Genuini filij Abrahæ ſunt obedientes.

Non ſuſcitabit ex lapidibus his Deus filios Abrahæ, ſed in caminum & furnum Luciferi deſtinabit. Genuini filij Abrahæ ſingulari ſemper reverentiâ obedientiâque excelluêre, Iſaacum cogita, qui lignorum faſce velut aſinum ſe onerari, velut oviculam ſe ligari, velut victimam aræ imponi libenter paſſus eſt *Geneſ.* 22. Jacobum Iſaaci filium contemplare,

qui ad matris vocem paternâ domo relictâ arduum iter ad Labanum in Haran ingredi, & 20. annis exulare; ad patris verò nutum nullam de filiabus Canaan in uxorẽ ducere contentus fuit. *Gen. 27.* Josephum Jacobi natum ob oculos pone, qui ad patris sui imperium, fratres in deserto curam ovium gerentes accedere veritus non est, & si non ignoraret capitali eos flagrare odio, ideòque certum vitæ discrimen se adire. *Gen 37.* Rechabitas dilauda, quos Deus ipse suo dignatus est encomio, quod ad patris sui consilium, an mandatum vivæ vocis oraculo intimatum in seras posteritates, omni vino, & quidquid inebriare potest, sanctissi nè abstinuerint. *Ier. 35.* Hi sunt germani Abrahæ filij, divinâ laude & benedictione dignissimi, atque electorum Dei filiorum catalogo inserti: Cum è contra immorigeri, in sensum reprobum dati, non filij sed spurij, sed monstra, sed viperarum genimina nuncupentur. Esau cogita, qui quòd parentibus inobediens esset, jure primogenituræ meritò excidit. *Gen. 6.* Absalonem respice, qui, quòd parricidale bellum in patrem movisset, meritò tribus confixus lanceis, & lapidibus obrutus est. 2. *Reg 18.* Filios Heli non nomino, qui, quòd monita paterna, licèt blandissima impiè contempserint, morte improvisa cæsi, cladem posteris immanem intulêre. *1. Reg. 4* Filios Job fortassis turbo involvit, quod paternæ pietati minùs responderent conviviis intenti, dum parens interim sacrificijs vacaret. *Iob. 1.*

§. 4. Exempla immorigerarum prolium severe punitarum Cantipr l. 2. ap. C. 14.

Graviori pœnâ, quàm Esau, quam Absolon, quam Filij Heli, & Job, in lege gratiæ mulctati sunt, qui refractarij parentibus suis fuêre. Tempore Thomæ Contipratani, prout ipsemet testis auritus consignat. Accidit sub Philippo Rege in Francia, ut pervicacissimi capitis adolescens alterum ageret Jsmaëlem, de quo Gen. 16. *Manus eius contra omnes: & manus omnium contra eum,* Omnes enim impetebat, nec proprijs parcens parentibus, quos mœroribus, & curis confectos ad amaram mortem perduxit Non potuit diu superstes esse, qui au-

thoribus vitæ suæ injurius fuit; Infirmatus itàque, & ad extrema deductus, etsi Sacramentis omnibus munitus esset, subitò inter adstantium manus horribili voce exclamavit, exilivit, irrugijt: Ad arma omnes, ad arma! en ecce pater meus omnium hostium meorum antesignanus occidere me conatur. Quæ cùm diceret, ad portam accelerabat iter, quasi obstiturus intrantibus; sed subitò corruens, inversis horribiliter oculis animam egit, hæc ultimùm profatus: Pater! heu pater meus! validissimo modo lapide frontem meam contrivit. Nihil viderunt, qui hæc audierant, audierunt tamen tumultum comprimentium sese turbarum, & armatorum strepitum. Hunc lapidem merentur immorigeri Goliathi. mirum si non feriantur, ut pereant.

Sigebertus ad annum 878.

Non parcit Deus regum filijs, sicut filijs suis, Angelis inquam, non pepercit, si patris reverentiam deperdant. Carolus junior cognomine Crassus, Ludovici Germaniæ regis filius, â dæmonio correptus, & in præsentia patris, ac procerum Francofurti in diæta gravissimè exagitatus est, horrido ejulatu exclamans: *Hac mea est irreverentia pœna.* Donec à Luitberto Moguntinorum Archiepiscopo, in Ecclesia Cathedrali exorcismis, & Eucharistiæ impositione liberaretur. Eandem pœnam caveant, qui parentes suos affligere flocci ducunt. Suppetit mihi energumenorum copia ingens, quos ex nulla alia causa dæmon possedit, quàm quia diabolicam potiùs contumaciam, quàm Angelicam in parentes promptitudinem sunt æmulati,

Baronius tom 7. ad An 564.

Chramnus Clotarij Francorum Regis filius, velut alter Absolon, contra Patrem suum bellum moverat, quòd ante tempus Britanniæ Rex â Patre non crearetur; at castris exutus, profligatus, captivatus cum uxore, & filiabus, ac demùm jussu parentis, qui ante pugnæ initium audiente exercitu exclamavit: *iudica iustissime Deus inter me, & filium meum, sicut iudicasti inter David, & Absolonem, respice Domine, & iudica causam*

S.Gregor. Turon. l 5. C. 20. histor. Fran.

meam, quia iniuſte patior à filio meo; Juſſu inquam parentis tugurio pauperculæ mulieris incluſus, ſuper ſcamnum extenſus, & poſt multa improperia unà cum uxore, & liberis incineratus eſt. Optarem ex his cineribus, filijs immorigeris partem è collo appendere, ut ab irrequieto cinere officii ſui commonerentur. Ingenioſè dixit nonnemo, ſicut arbores, quæ flores nō parturiunt, ſed groſſos tantùm. & nodoſa emittunt germina, non niſi exciſionem & ignem merentur; itá juvenes, qui per obedientiam non florent, nec Nazarei eſſe volunt, *groſſi* imò *groſiſſimi* fiunt, nec aliud merentur, quàm ſecurim, & gehennam. Talis groſſus fuit, ſeveriùsque idcircò, quàm Eſau punitus eſt, ingratus ille filius, in Normanica ignobili domo, ſed divite natus, qui hæreditatem à parentibus eblanditus, factâ ſponſione, quòd parentes opiparè per aliquam vitam habiturus eſſet; primo quidem anno bene, altero malè, tertio peſſimè habuit, quartò denique domo exegit; ità ſvadente uxorculâ, & in domunculam è regione ædificatam retruſit, ubi vitam miſerrimè ſuſtentabant. Accidit, ut caponem veru hærentem in culina filij, anicula mater obverſaret, monitumque oraret maritum, non timeret prandium adire filij, & vel ſemel famelicum ſaturare ventrem. Venit bonus ſenecio, at filius viſo parente caponem in armarium ocyùs incluſit, patrique obvius: Quid quæreret? inquiſivit, famelicumque dimiſit. Rediît ad tuguriolum parens, rediît ad armarium filius, & dum caponem eximere ſatagit; buffonem pro capone deprehendit, qui in impudentis filij frontem ocyùs involans pluribus in ea annis hæſit, nullâ avellibilis arte. Non licebat enim ſine graviſſimo doloris cordiaci ſenſu, vel minimam monſtri partem contrectare, ut tantò arctiùs cum pudore dolor ſociaretur. cùm tandem ſcelerum pœnitens ad diæceſanum recurrit Epiſcopum, á quo pœnitentiæ loco accepit, ut vicinas regiones circuiret, & pervicaciæ ſuæ pœnam omnibus enuntiaret, Obediît miſer, & poſtquam Pariſiis, alibique

Cæſarius l. 6. c. 22. Cantiprat. l. 2. c. 7. S. Bonaven. Serm. 5. in præceptum quartum.

ignominiam ſuam palam retuliſſet, ſanctorum quorundam precibus liberum ſe ſenſit, monſtro ſubitò diſparente. Talem buffonem pro frontali merentur cervicoſæ filiæ, talem frontem effrontes filij, talia fercula ingratæ proles, quæ cúm obolum ori, ſubtractum parentibus porrigere deberent, lapidem pro carne, ſcorpionem pro ovo porrigunt; cùmque delicatiſſimis cibis veſcantur (qui tamen omnes in buffones olim convertendi ſunt) vix oſſa parentibus favent, imò ex oſſibus parentum, ſuam exſatiant ingluviem.

§. 5. Devorant nōnulli parentes ſuos.

Scribit beatiſſimus Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xaverius l. 2. Epiſt. 3. Incidiſſe ſe in ejuſmodi anthropophagos qui ut ſolenne alijs convivium exhibeant, parentem grandævum necant, & coctum, lixum, aſſum convivis apponunt eâ lege, ut vices reddant convivæ, & ſimile inſtruant epulum. O barbara crudelitas! ô rabies plusquàm belluina! Vt quid loquor? Abundat ſimilibus filijs Europa noſtra, regio noſtra, urbs noſtra, qui non ferro, ſed animas pertranſeunte doloris gladio, parentes ſuos conficiunt, & de bonis relictis, quaſi de carnib' parentum epulantur, & tripudiant. Eſt illis more Japonum color ater, inſigne lætitiæ, quia ſub ſimulato in atris veſtibus luctu, gratulantur parenti de exſoluto naturæ debito; ſibi vero de pingui hæreditate relicta, pleno, ùt aiunt, ſplene congaudent. O digni, quibus alia non ſit hæreditas quam furca, rota, rogus, nec alij hæredes quàm corvi, juxta Sapientiſſimi Regis imprecationem: *Oculum, qui ſubſannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus.* Cur ſuſpendio potiùs, quàm alio ſupplicio, interrîerit Abſolon capillis locò funium implicatis quercui, cauſam affert Lauredanus: quia aliud genus mortis vix merentur immorigeri filij, quám ut cœlum inter terramque pendeant ab utroq; deſerti; Nō expectavit terra, ut furca pro Abſalone erigeretur, ſed tot furcas, quot arbores ſponte protulit, ut indicaret proditores parentum, & iniquos in patrem filios non unâ ſed mille furcis dignos eſſe, atque ideo tot paſ-

Proverb. 30. v. 17.

Lauręd. in Sylva lit. Filij. pag. 458.

ſim arbores produci, ut ſufficiant, ſimiles furcæ ſingulis con-
ſtituantur; nec ab alijs, quam a ſeipſis lugeantur, pulloque co-
lore non exteriùs aſſumpto, ſed cuti intimæ impreſſo veſtian-
tur. Quòd Æthiopes atro â natura deformati ſint colore, non
climati adſcribendum, ſed maledictioni Noëmi, qui filium
impudentem Cham in ſeris nepotibus ſignavit & denigravit:
ità Genebrardus ex receptiſſima traditione Hebreorum affir-
mat l. 1. Chronolog. à Noë deriſorem filium Cham, â quo
Æthiopes deſcendunt, punitum eſſe nigredinis imprecatione,
ut cùm patrem ipſe denigràverit, atrore in poſteris ſuis ad
cautelam ſignaretur. Addit Genebrardus Getulos ex ſtirpe
Cham pariter prognatos, præter nativam nigredinem, etiam
putore oris affectos eſſe, ità ut ſalem perpetuò in ore geſtare
cogantur. & quamvis plurimi alij ſub æquatore, & locis utri-
que tropico vicinis inter medios Æthiopes habitent, in albe-
dine tamen naſcuntur, quia non ex Cham, ſed Japhet & Sem
promanant; hæc ille. Nigreſcant & puteant omnes inſulſi, &
immorigeri filii, ut ingenuus quiſque horrere, & vitare eoſ-
dem noverit, atque cum Satyrico occinere: *Hic niger eſt, hunc
tu Romane caveto.*

§. 6. *Beſtiæ plus ſuis deferunt parentibus, quam homines.*

Confundunt ingratas proles ciconiæ, meropes, aliaque
animantia in curam parentum alendorum, baiulandorum,
fovendorumque unicè intenta; merops ùt primùm volare di-
dicit, mox parentibus inſervire conſvevit, ait Pierius hiero-
glypho. 17. Ciconiæ, teſte D. Ambroſio L. 5. hexam. C. 16.
vetulos parentes pennarũ defluvio laborantes, alis confovent,
& involatu utrinque ſuſtentant. Vpupæ & glires parentes ſu-
os ſenio feſſos inſigni curâ alunt, teſte Æliano de upupis l. 10.
c. 16. Plinio de gliribus l. 8. c. 57. Leones juniores prædam
ſenioribus adferunt, teſte Plutarcho l. de ſolert. animal. ô
mortales meropibus, upupis, gliribuſque deteriores, ideòque
digni, qui in nidum, poſſeſſionem horum animalium cedatis!
Quàm vereor, nè leo ille rugiens, qui circuit quærens, quem
devo-

devoret, in prædam vos abripiat, cùm leunculorum longè
vos ſuperet gratitudo, nec ulla tangat cura, ùt veſtram cum
parentibus prædam, leonum more, dividatis.

§. 7. *Ethnici obſervantiores parentum. quã Chriſtini.* *Diol. l. 47.*

Erubeſco, quoties Ethnicos revolvo, pietate in parentes
inſigni præditos, & ad Chriſtianorum confuſionem obſequẽ-
tes. Cornelius Scipio, quia cœco parenti in baculum ſenectu-
tis ſe obtulit, *Scipionis* nomen familiæ meruit. Quinti Cice-
ronis filius quæſitum ad necem parentem occuluit, cùmque
in quæſtionem vocaretur, omnibus potiús tormentis excarni-
ficari voluit, quàm latebras evulgare. Decij Auguſti Filius
imperij purpuram á parente ſibi oblatam recuſavit inquiens:
*Vereor, nè ſi Imperator fiam, dediſcam eſſe filius; malo non eſſe Impera-
tor, ſed humilis filius, quam Imperator & filius indevotus.* Philippus
verò Philippi Imperatoris filius, Decij anteceſſor, in imperi-
um ab Auguſto patre evectus: *Gaudeo*, inquiebat, *Me habere
patrem, cui obedire poſſim non tantum ùt filius, ſed etiam ùt imperator.*
Ita recenſet Petrus Bleſenſis ep. 47. De duab⁹ filiab⁹ narrat Pli-
nius, & Valerius Maximus, quarum altera matrem carceri-
bus mancipatam diu uberibus ſuſtentavit, meruitque hac pi-
etate, ut carcer verteretur in fanum, Deæ Pietati ſacrum; al-
tera Cimonem patrem lactando, vitam illi, ſibi famam im-
mortalem comparavit.

Plin L. 7. c. 38. Valer. Max. l. 5.

Habemus nos Chriſtiani quidem unum Conſtantinum,
qui Matrem ſuam Helenam omnibus Theſauris prætulit, &
ædificatis nomini materno urbibus honoravit; habemus u-
num Alphonſum Aragonum Regem, qui Ferdinando le-
cticâ vecto pedes ſuccollavit, & funus paternum 17. aureorum
millibus honeſtavit; habemus unum Thomam Morum, qui
palàm flexo genu benedictionem paternam expetiît; habem⁹
unum Alexium Iſaacium, qui paternæ pietati imperatoriam
dignitatem prætulit. At quid hoc inter tantos? quid hoc in-
ter Chriſtianos? quibus ſuo Chriſtus exemplo ita præluxit, ut
pudor ſit non ſequi. miraculum diabolicum ſit non obedire
non

non revereri,, non diligere. Diligite proinde ô filij filiæque parentes veſtros; nè vos oderit Pater cœleſtis; veſtigia Ieſu ſectemini. & ſubditi eſtote, nè veſter vos reprobet Judex; ad ultimum usquè ſpiritum grati vivite, nè vos ſanctus deſerat Spiritus, & rebellibus inferorum ſpiritibus in poſſeſſionem, torturamque ſempiternam permittat. Longevitatem ſi cupitis, felicitatem ſi quæritis, benedictiones ſupernas ſi amatis, obedite, diligite, honorate, ut ſuo vos Sanctiſſima Trinitas cenſeat in numero filiorum.

PHILIPPICA VIII.

In Diſcordes Conjuges,

DOMINICA II. poſt Epiphaniam.

Nuptiæ factæ ſunt in in Cana Galilææ Ioannis 2. v. 1.

§ 1. *Cur nomen Sponſorum nō ponatur.*

NOn exprimitur nomen Sponſi & Sponſæ, â quibus ſolennitas inſtituta fuerat nuptiarū, ſed locus accuratò conſignatur calamo, in quo ſolennitas transacta, ſive ut Neoſponſorū carperetur ingratitudo, quòd pro tanto prodigio converſæ in vinū aquæ gratias nullas dixerint, ideoq; ſine nomine remanſerint: Ingratitudo enim, inquit Sylveira, beneficiorumque oblivio nomen maximè obſcurat, & expungit; tum quod hocce ſponſorum par, figuram gerat eorum conjugum, quibus vinum charitatis deficit, nec niſi inſipida rixarum, lachrymarum, zelotypiæ aqua ſuppeditat. Vnde & *Canæ* celebratæ dicuntur nuptiæ, quia Cana, interprete D. Thoma, V. Beda, & Seraphico Bonaventurâ, *Zelum* ſignificat; ubi enim malus regnat zelus, ibi charitatis vinum deficit, & niſi

To. 2. l. 4. c. 1. q. 4.

niſi miraculo ſuccurrat Ieſus, plena tumultibus, lamentis, infortunijs erunt omnia; ut deniquè transmigrationem ſequi oporteat, unde Cana Galilææ appellatur, quiâ zelus tranſmigrationi copulatur. Quidſi & Cananæi in hanc urbem transmigrâſſent, & de compluribus coniugibus ex vero affirmari poſſet: *Vinum non habent? fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* contrà quod fel & venenum utinàm tam potenter agam hodie, ut in mel & ſiceram per Mariæ interceſſionem, & Ieſu benedictionem convertatur. *Deut. 32 v. 33.*

§. 2. *Rara concordia Conjugū.*

Dicant alij raram eſſe concordiam fratrum, dicam ego rariorem eſſe concordiam conjugum, & pro miraculo non immeritò haberi, ſi vel in ſepulchro non litigent. Meminit Hieronimus epitaphii, quod Romæ in via Tiburtina legerat in hæc compoſitum verba: *Heus tu viator! miraculū hic! Vir & uxor non litigant.* Nuptias vocavit Septimius *Matrimonij pomum.* at quale quæſo pomum? an pentapolitanum foris adeò venuſtum, ut oculos rapiat, & orexim excitet, ſed morſu tentatum, ut loquitur D. Auguſtinus, in fumum ac favillam cono fatiſcente vaneſcit. Speciosum & amœnum pleriſque matrimonium videtur, ſed morſu uno, unico mordaci opus eſt verbulo, & ecce amor in odium, pax in furorem, deliciæ in fumum evaneſcunt. Vel potius dicamus pomum eſſe paradiſiacum, cùm in paradiſo primæ plantatæ ſint nuptiæ, de quo Gen. 3. *Erat pulchrum oculis, & aſpectu delectabile,* Sed vix deguſtatum hoc malum, quot heu peperit mala! *Multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries filios.* O malum ex quo plura, quam è Pandoræ pixide in orbem mala evolant. Alij matrimonium malo punico comparant, inſcribuntque: *Amaro dulce.* Poteſt & *pomum diſcordiæ* Appellari, quod ex poëtarum fabula in veram tranſiit hiſtoriam; infaſcinat ſcilicet invidiâ dæmon pomum matrimonij, ut, quod concordiæ debuerat eſſe ſymbolum, diſcordiæ fiat trophæum; cui tollendo faſcino, vide quàm ſelectas in ipſis nuptiarum ſolennijs ſanctiſſima

Sept. l. de prud. c. 1.

S. Auguſt. l. 21. de Civit. c. 5.

Chri-

Christi Sponsa Ecclesia Catholica usurpet cerimonias.

§ 9. *Ex sacris nuptiarum ceremoniis arguuntur discordes.*

Antiquissimus, & sacerrimus Catholicæ Ecclesiæ ritus est, ut in solennitate nuptiali celebretur Missæ sacrificium, benedicatur annulus, stolâ sacerdotali circumvolantur Sponsorũ manus, deniquè vinum amoris neonuptis propinetur. ad quid tanta ceremoniarum deversitas? Sacrificium peragitur, ut nuptiarum principium faciat Jesus, sitque hospes præcipuus non die duntaxàt primo, sed toto coniugij tempore. *Matrimonium Ecclesia conciliat, & oblatio confirmat.* Ait Tertullianus l. 2. ad uxorem in fine. At expellunt è sinu, thoro, domoque Iesum discordes conjuges, & litium omnium authorem, fautoremquè dæmonem inducunt, cui corpora, & animas suas sacrificant. Benedicuntur annuli, & digito cordiali (ob venamquæ ex eo digito in cor tendit, ùt docet. D. Ambrosius lib. de Patriarch) inferuntur, ut cor mutuò constringatur ad fidem firmitèr servandam. At discordes conjuges annulum fidei abijciunt, pro eoquè characterem bestiæ assumunt, audituri aliquando â Christo id, quod exprobravit Judæ Thamar: *Cognosce cuius sit annulus.* Hoccine erat servare datam Deo, hominibusquè fidem? hoccine erat aspirare ad beatæ annulum æternitatis, quem spopondit Deus conjugibus mutuo amore conjunctis? hoccine erat, *Sacramentum magnum in Christo* repræsentare? ó conjuges non annulis, sed catenis, non aureis, sed ferreis, sed igneis, sed tartareis æternùm digni, Quid stola manibus circumligata significat? ad crucem Christi mutuò sufferendam vos conjurare, & neque in prosperis, neque in adversis avelli, sed utramquè fortunam fortiter illius amore, qui in cruce diem desponsationis celebravit, sponsùmque sangvinum egit, sustinere velle. Si ergo diffidetis, jam non fideles, sed fœdifragi estis, & facto ipso ejuratis illum, qui fecit utraque unum, principem pacis, & consummatorem fidei, qui dedit semetipsum pro vobis, ut essetis in illo una caro, & unus Spiritus fidei & amoris unitate. Ad hæc unio scinditur,

Gen. 38.

Ephes. 5. v. 32.

hæc

hæc stola prodigitur, hoc pacis vinculũ in opprobriũ Christo & verbo ejus disrumpitur. & cor divinum sauciatur atque dissecatur per insaniam vestram, nimiùmquè crudelem insensati conjuges dissensionem. Vinum amoris propinavit Christus, vos fel draconum, vos absinthium amarissimum, vos venenum aspidum eidem ingeritis, dum vinum conjugalis amoris felle rancoris permiscere, plenosque amaroris cados in vos mutuò pœnè quotidiè evomere non cessatis; hi sunt convivales missus, quos hospiti Iesu apponitis, fel & acetum, contrà quod queritur: *dederunt*, discordes conjuges, *in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Heù quale vicissim vos absinthium, fel & venenum totâ æternitate hauriendũ expectat. *Ps. 68. v. 22.*

§. 4. *Cur dæmon non rapiat discordes conjuges.*

Miror nonnunquàm, & ex memetipso sciscitor, cur ejusmodi conjuges non opprimantur, abripiantur, discerpantur à dæmonijs; cùm septem illi viri, qui Saram sponsam suam insano amore deperibant â dæmonio oppressi fuisse legantur. Tob. 6. v. 14. peccaverunt illi in castitatem conjugalem; discordes verò conjuges peccant in charitatem, quæ longè major præ illa virtus est, magisque præcepta (*Maior horum est charitas: hoc est præceptum meum, ut diligatis invicèm*) Cur ergo, qui magis peccant, minùs puniuntur? respondebit mihi aliquis ex Eccles. 9. v. 2. *Omnia in futurum servantur;* quin imò non est opus, ut vivi abripiantur in gehennæ barathrum, cum mordacissimum in domo, & animo suo circumferant infernum; si enim ex sapientissimi Regis effato: *Dura sicut infernus æmulatio.* Cant. 8. proh quot infernos tolerant, qui plurimas fovent æmulationes! Si juxta doctrinam Hieronymi domus illa, in qua regnat charitas, paradisus vocanda est, cujus inquilini sunt Angeli; domus verò discordiæ vivus quidam infernus est, & altero inferno tantò deterior, quantò vivus draco horribilior est exanimi, non miror in infernum ocyùs discordes non abripi, etsi hunc invicèm pro pane quotidiano imprecentur, habent enim iam infernum suum, horrentque eosdem diaboli

1. Cor. 13. v. 13. Ioan. 15. v. 11.

in suo

in ſuo tàm citò habere inferno, quorum præſentiâ mirum quantum lamenta, & tormenta gehennæ, velut incendium lignorum ſtrue ſuperinjectâ, augebuntur. Non rapuit malus dæmon uxorem Jobo, ut per eam graviùs, quàm ab ipſo dæmone, miſerrimus Job torqueretur; ex eodem fortaſſis capite alterutrum conjugem dæmon non opprimit, ut graviús & diuturniùs amborum ſit tormentum,

Marci 5. â v. 2. Deſcribitur Energumenus, qui ſemetipſum lapidibus concidebat, compedum & catenarum impatiens, quas frequenter diſrumpebat: *Quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, clamans & concidens ſe lapidibus.* Energumeno huic ſimillimi ſunt crudeles mariti, qui conjugalis impatientes jugi, & DEI præcepta, & ſenatûs conſulta excutiunt, vociferantur & concidunt ſemetipſos, dum uxorem verberibus cædunt; Sicut enim ſeipſum diligit, qui uxorem diligit; ità ſeipſum concîdit, qui cædit uxorem. Scio quidem jactari abhiſcè verberonibus Paulinum illud: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*, at vel inde colligere eſt, quàm inſenſati ſint, quòd non ſentiant, quæ corpori ſive uxori infligunt verbera, nec ſuam agnoſcant inſaniã, dum ſangvinem ſuum dæmoni cum energumeno litant, in ejuſdemque ſe redigunt ſervitutem.

1. Cor 9. v. 27.

§. 5. Diſcordes conjuges pejores ſunt dæmonibus & crucifixoribus Chriſti.

O diſanimes conjuges quid dicam vobis? miſerabiliores gentilibus, deteriores beſtijs, peiores dæmonibus, ſceleratiores Chriſticîdis eſtis vos; placet demonſtrem ſingula? Tiberius Gracchus teſte Valerio Max. 14. c. 6. Duos angues marem, & fæminam in ſuis ædibus deprehenderat, conſultus aruſpex reſpondit: Si ſerpens maſculus occideretur dimiſſa femellâ, moriturum Tiberium ſuperſtite uxore Cornelia; ſi verò fœmella interimeretur, Tiberiũ Corneliâ longæviorem fore. quo audito Tiberius ſerpentem marem mox interemit exclamavitque: *Vivat Cornelia.* Et quantus amor gentilium conjugum, quot putas conjugum paria pari charitate præditorum

torum in hac urbe Chriſtiana repercro? turtures, philomelæ, ciconiæ, leones ad probrum humani generis fidem dilectionemque conjugalem, vitâ ducunt potiorem. Dæmones in ſe mutuò non ſæviunt, quia regnum ſuum diviſione intercedente, ſtare nequaquam poſſe noverunt. Crucifixores Chriſti nullam confregêre coſtam, nullum os comminuêre, nec tunicam inconſutilem diſciderunt; quid diſcordes Conjuges? tunicam Chriſti conſcindunt, & coſtam, de qua ſumpta mulier, & os, quod concordiæ ſymbolum eſt, confringunt; odia pluſquàm diabolica in ſeſe mutuò fovent, de gemitu turturũ quidèm non parùm, nihil de fide habent, non vitam ſed mortem pro quotidiano *ave* imprecantes. & tamen inter hæc inteſtina odia Deum à ſe amari, sèque â Deo diligi, putant.

§. 6. Diſcordes conjuges nec amant Deum, nec amantur à Deo.

Quid? Deum ut ament, & amentur à Deo? *Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodò poteſt diligere?* 1. Ioan 4. v. 20. Exoſiſſimi ſunt Patri, Filio, Spiritui Sancto, cuius imaginem, & ſimilitudinem conjugalis concordia exprimit, diſcordia deſtruit. In Paradiſo nuptias Pater fundavit, egitque paranymphum, & adſtitem, cùm adduxit Evam ad Adamum, ut duo eſſent in carne una; At diſcordes conjuges ſeparant, quod Deus conjunxit, deſtruunt quod omnipotens ædificavit (ædificavit enim coſtam in mulierem ùt habent 70.) perdunt, quod pater fundavit, & putabunt adhuc ſe patri placere poſſe? Filius Dei in exemplar amantium conjugum ſe propoſuit, & ſponſam ſuam in incarnatione aſſumptam dimiſit nunquàm, odio habuit nunquàm, contumeliâ affecit nunquàm; quin imò pro ſponſa ſua mortuus, vitam ei immortalem contulit, & ad Patris æterni dexteram collocavit. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam*, Ille author fidei, & conſummator charitatis IESUS exemplum dedit quod â vobis vilipenditur, proculcatur, conſpuitur, annihilatur. Et creditis adhuc Filio Dei placere vos, eundemque redamare? Præceptum illius eſt. *Ut diligatis invicem*, quo præ

Eph. 5. v. 25. Coloſ. 3 v. 19.

cæteris Christiani Conjuges obstringuntur, tùm propter juratam Deo, sibique invicèm fidem, tùm propter ipsiusmet statûs rationem, quæ sinè charitate minùs consistet, quàm absque unione corporis, & animæ vita consistere possit; & vobis præceptum pro joco, pro fabula, pro crepundijs est? Spopondit Christus *in Medio* se affuturum, ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine ejus, & vestra â vobis Christum abigit discordia, & medium inter vos cacodæmonem habitare facit, qui immanis instar carnificis maritum & uxorem tanquam feroces tauros in contrarium adigit, ut laceretur cor, & corpus Christi, concordia inquam Christianorum, quam pro suo corde ducit Salvator, separenturque corpora conjugum, quæ pro membris suis Christus reputat teste gentium Doctore: *Corpora vestra membra sunt Christi.* 1. Cor 6. v. 15. & v. 19. *Membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti.* Violat templum Spiritus Sancti, qui ex ultionis spiritu verberat, vulnerat, mortificat uxorem, contrà quem lata lex est: *Disperdet illum Deus.* 1 Cor. 3. v. 17. Quid porrò dicemus de Spiritu Sancto? Quale solatium divinus iste Paracletus habet ex conjugum discordia? Non potest exhilarare S. Spiritum quod recreat diabolum; non potest inde gaudium nasci in cælo, unde jubilus, & plausus oritur in inferno; non potest arridere Spiritui Sancto, quod Angelis pacis amaras provocat lachrymas, quibus vestros ruptos, atque corruptos deplorent amores.

Matth. 18. v. 20.

§. 7. *Vter conjugũ magis reus esse soleat.*

Quòd si interroger, utrum de conjugibus maritum, an uxorem censeam esse potiorem discordiarum originem, atque calamitatum domesticarum authorem? Indubitatè pronuntio, maritum potiùs reum videri, quàm uxorem. Cùm enim maritus uxore censeatur esse prudentior (non enim hæc de cerebro viri, sed de costa formata est, nec nisi unica in fabulis de cerebro prodiît, eaque innupta Minerva) oportebit virum regulis prudentiæ naturalis dirigi, & discordiarum caussas prævidere, atque removere. Cum caput mulieris vir sit, capiti

capiti meritò imputatur, quod in domestico regimine malè administratur. Quid valent membra cœtera capite insano? sicut periculosissimi quique morbi puta apoplexiæ, & hemiplexiæ ex capite descendunt, ita ex marito domesticæ ægritudines atque ærumnæ. est maritus velut navarchus in navi, in urbe rector, in grege pastor, Episcopus domi suæ, ùt Augustinus docet: percutit itàque dæmon pastorem, ut dispergatur grex, pervertit episcopum, ut domestica intereat Ecclesia, corrumpit rectorem, ut familiaris evertatur respublica, navarchum exerrare facit, ut classis naufragetur. Jactant subinde mariti uxorem sibi pro orco esse, atque ad hoc probandum detorquent anagrammatismum veterem, quo uxor, & *orcus*, si littera *x* in *es* resolvatur, controvertuntur.

Quisquis in uxorem cecidit, descendit in orcum,
Ritè inversa sonant, *uxor*, & *orcus* idem.

At nesciunt hi nasutuli, quòd suo sesę pungant, conficiantq; acumine, nam:

Vxor, & orcus idem est. Sed in orco est Belzebub. ergo
Orcus si fuerit fæmina, Vir Satham est.

Nec vir Sathan, nec infernus foret uxor, si genuina inter utrumque charitas intercederet. Viris præceptum est. *Viri debent diligere uxores* Eph. 5. v. 28. & v. 33. *uxorem* (vir) *sicut seipsum diligat*; nusquàm verò scriptum legitur: uxores debent diligere viros suos, ad hoc enim præceptis non egent, sed nativo feruntur impetu, frenoque magis, quám calcari opus habent. & verò fræna ijs quotidiana injiciunt improbi mariti, qui nonnisi contumelijs, & verberibus uxoria obsequia & dilectionem pensant parricidis pares, dum verbera infligunt, fæminis omnibus effæminatiores dum contumelias inferunt. hæc non mea, sed Chrysostomi est oratio homil. 15. in Act. & 26. in 1. Cor. *Contumeliâ afficis mulierem? ne fias tu mulier. muliebre enim est contumeliâ afficere. Verberare autem uxorem, extrema est contumelia, non ei qua verberatur, sed ei, qui verberat. Virum ejusmodi, si vir* appel-

appellandus est, & non bestia, instar parricidæ habeamus. A quibus urbem hanc præservet, liberetquè Dei clementia, & pervigilis magistratûs justitia, ut sub oliva misericordiæ & gladio vindicis justitiæ, omnes in pace, & concordia conjuges vivere videamus, & gaudeamus.

PHILIPPICA IX.

In Heros Austeros, Servos pigros.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Non inveni tantam fidem in Israel. Matt. 8. v. 10.

§. 1. Cur centurio tätopere commendatur.

CVr tantâ benignitate ab humanissimo Homine DEO excipiatur Centurio, laudibusque supra universum Israëlem efferatur, causam dat Origenes homil. 5. in divers. Quia primus fuit, qui pro servo oraret *Multi illo tempore pro diversis rogabant infirmantibus, nullus tamen pro servo nisi iste solus, & hoc ei ad augmentum beatitudinis & coronam gloriæ erat.* Sicut se hòmo habet in subditos, ita se Deus erga hominem gerit; benignus erat Centurio, ideoq; benignum expertus est IESUM. Monet proinde D. Ambrosius ep. 23. *Nemo fraudet servum iure suo; quia & nos servi sumus Dei nostri.* Multam centurionis benignitatem ex verbis pauculis deprehendimus: *Puer meus iacet;* Meus dico (inquit Chrysologus serm. 15.) quia jaceret si tuus esset, non jaceret: Servi tui stant ps. 93. v. 2. Adscribit præterea Centurio sibi ipsi infelicitatem servuli: *Ecce compassio, quòd morbus est meus:* Inquit Hugo. & quamvis plurimos haberet servos, unicum tamen ità observat sicut omnes, & quasi alium non haberet, ut adnotat Basilius orat. 19. Prætera

reà domi jacere dicit, *Nè familiaris infirmitas publicè & dolori sit & pudori,* ait iterùm Chrysologus serm. 15. Ex qua charitate Centurionis, occasionem desumpsi reprehendendi hodie austeros nostros Dominos, quanquàm nec famulis parcam; parcè tamen utrisque.

§. 2. Multi Christiani Domini gentilibus peiores.

Sunt inter Catholicos Domini, Gentilibus, Romanis & Babylonijs multò deteriores. Solebant Romani in Saturnalib' ministrare servis, coquè pacto agnoscere, esse etiam se homines sub potestate constitutos, & facile è dominatu in servorum conditionem posse deijci. Babylonij per integros quinque dies imperium concedebant servis, festumque *Sacea* vocabant, quo famulorum officium ab heris exercebatur; quin & servorum non nemini stola imponebatur regia, ut meminissent servi, si Fortuna volet, fieri de mancipio Regem, de Rege mancipium. Jam assequor, quid Doctor gentium velit, cùm 1. Tim. 5. v. 8. scripsit: *Si quis suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior;* Cúm enim infideles Babylonij atque Romani, quotannis famulis suis inserviverint, an non fideliores Dominis Christianis gentiles? Habent Reges pariter ac subditi, principes & rustici, Domini & servi eundem in cœlis Patrem ac judicem, eundem Creatorem ac Redemptorem, eundem præmiatorem ac vindicem: *Quoniam ipsorum & vester Dominus est in cœlis* Eph. 6. v. 9. Coràm quo comparebit Dominus & famulus: eritque longè melior conditio famuli præ Domino, quia de paucioribus rationem est redditurus. *Pro omnibus tibi subiectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes:* ait Augustinus epistolâ ad Comitem. Dignus est encomio hodiernus Centurio, qui famulum suum habuit pro filio; dignus est vituperio ille herus, qui famulos suos, non ùt homines, sed canes, imò canibus peiùs habet, atque his faciliùs bolum panis aut offam carnis objicit, quam famulis suis diurnum faveat dimensum. Audiret is utinàm & exequeretur ethnici Senecæ doctrinam ep. 27. *Cogita, quem servum*

servum vocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, aquè spirare, æquè vivere, æquè mori, nam tu illum ingenuum videre potes, ille te servum. Si cœci non essent plerique Domini, respicerent in servis suis Filium hominis, qui venit non ministrari, sed ministrare, formam servi accipiens; respicerent Angelos, qui sunt administratorij spiritus in ministerium missi eorum, quos illi pro floccis habent; respicerent Ancillã Domini MARIAM & sanctos sanctasque, quorum nomina in baptismo accepêre servi, ab ijsdemque foventur, & clementissimis oculis respiciuntur. Comædiam omnes ludimus in hac vitæ scena, non quæritur qualem personam, sed quomodo agas, in fine laus erit unicuique à Deo, & recipiet unusquisque prout sese gessit, sive bonum sive malum. Latrunculorum lusus in hac vita luditur, in quo rusticus aliquando regem capit ac reginã, at ubi finitus lusus fuerit, omnes in eundem æqualiter sacculum coget mors. Negotiationem exercere jubemur; cui multum datum fuerit, multum repetetur ab eo. *Pro omnibus tibi subditis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes.*

§. 3. *Graviter mulctantur immisericordes in servos.*

Similes mihi videntur plurimi nostratium Dominorum austero illi hero, de quo 1. Reg. 30. legere est. Indagans David prædones seu latrunculos, incidit in miserabile quodpiã mancipium, quod lupis ac corvis in escam abjecerat herus, jamque die tertiâ nec panem degustârat nec aquam. Quærit proinde mansvetissimus David, quid esset, hominis? & quomodo in tantam redactus calamitatem? Cui famulus: *Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ; dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cæpi nudius tertius.* Barbarum hoc erat facinus & Amalecitâ sive tyranno dignum (Amalec enim idem quod *Lambens sangvinem* significat) & genium eorum adumbrat Dominorum, qui ubi ultimam sangvinis guttam exsuxerint mediastinis suis, vermibus & putredini eosdem objiciunt, nec illud Centurionis, repetunt: *Puer meus*, ancilla mea *jacet*; sed transeunt; aspiciunt, audiunt, nec moventur immisericordes excordesque heri & heræ, quibus proh quam male erit in die novissimo! Erit omnino sicut huic Amalecitæ, qui servulum Ægyptium destituerat; ut enim querelas pueri humanissimus David audiit, locum unà intellexit, ubi Dominus moraretur, epularetur, prædas partiretur: quem mox insecutus assecutusque sancto plenus furore interemit, & comites ejus vel fugavit vel trucidavit, prædâ omni in suam redactâ potestatem. Sentient & isti feritatis suæ pænas eò graviores, quò grandior est culpa, cùm anima quàm corpus deseritur ac perire sinitur, anima inquam Christi sangvine redempta, signaculô Spiritûs Sancti signata, Angelorum curæ commissa, Dominico corpore saginata, Sanctorum communioni inserta, æternis delicijs deputata; quæ tamen plerumq; perit Dominorum Dominarumque socordiâ, scandalo, & diabolicâ perversitate. Non arguunt delinquentes, non impediunt peccantes, non excitant negligentes; p rvam corporis, nullam pœnè animæ curam habent, cedat & hæc & illa in prædam corvis tartareis, pereat, ardeat, torqueatur æternùm, nihil jam pensatur à Dominis & Dominabus, melius dixerim ab Amalecitis maledictis, à Pharaonibus novis, à crocodilis nefandis. De Amalecita tyranno jam dixi, repetoque: Nulla inulta manet injuria, quã Domini ac Dominæ famulis famulabusque inferunt; horum enim clamor cœlos penetrat, vindictam Domini Sabbaoth provocat, Spiritum Sanctum amaricat, Christum in judicium excitat, beatos omnes ad gladios ancipites inflammat. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, quia nec spatium pœnitentiæ, nec spem misericordiæ indulgebit immisericordibus huiusmodi potestatibus. *Potentes potenter!*

§. 4. *Immites Domini similes sunt Pharaoni & crocodilo.*

Pharao servos suos laboribus attrivit, & pro præmio flagellis improbè mulctavit, ideòque in profundo maris rubri interiit. Pharaonem æmulantur, qui curam domesticorum non habent, laboribus atterunt corpora, verbis imò & verberibus

ribus exulcerant animos, de animarum salute nulla curâ, de adeunda Ecclesiâ, frequentanda synaxi, audiendo DEI Verbo, non tantùm cura nulla, sed in contrarium accuratissimè invigilant, nè Divinis accumbere possint epulis, & pabulo refici cœlesti. O Pharaones! in profundum vobiscum! Crocodilus marina bellua, regulos seu trochilos adhibet, qui dentes ejus purgent: carent enim ipsi linguâ ad hocce officium necessariâ, pro quo fideliter peracto sufficere debent regulis fætidæ ciborum reliquiæ dentibus crocodili inhærentes, & impunitas vitæ. Sed en ùt natura hanc ulciscatur injuriam! Cùm enim perpurgatis dentibus svaviter dormit crocodilus & abigitur trohilus, ecce tibi Ichnevmon seu mus Indicus aut mus Pharaonis dictus succedit, in fauces insilit, ventrem petit, intestina corrodit, grandem belluam occidit. Quid habetis ò boni famuli & famulæ pro diurnis nocturnisque obsequijs, quam fœtidas ciborum reliquias? quale solatium post omnia impensa obsequia? Si verberibus abstineant aut verbis quæ verberib⁹ quandoq; duriora sunt, in beatis accensemini! At aderit propediè pro Ichnevmone mors & vermes, soluturi Dominis vestris stipendiũ, quod vobis negatum est, & barbara præsidum vestrorum inhumanitatem pari ære remuneraturi.

§. 5. Imprecatio.

Non inveni tantam fidem in Israel dicebat in laudem hodierni Centurionis Jesus; Ego in vituperium nostratium plurimorum Dominorum exclamare cogor: *Non inveni tantam perfidiam in gentibus.* Non ità sæviêrunt in subditos ethnici, sicut debacchantur Christiani; ideòque dico vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient & condemnabunt generationem hanc; filij autem regni, quia malè familiam suam rexerunt, eijcientur in tenebras exteriores, quia & ipsi famulos & famulas ejecerunt in tenebras & carceres cæcos: Ibi erit fletus pro risu & cachinnis, quibus familiæ illuserunt, & stridor dentium pro leoninis dentibus quos pauperibus subditis infixerunt, ibi omne malorum genus, quia malis omnibus com-

missam sibi familiam affecerunt. Ite, & sicut fecistis fiat vobis.

2. Pars Concionis S. 1. Famulorum mors perstringitur.

Laudatum à Christo audivimus Dominum, minimè verò famulum, de quo Centurio dixerat: *Puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur*: Nimirùm si jacet, & quidem paralyticus, & torquetur non bene omnino indignus est laude; tales sunt plerique ævi nostri & famuli & famulæ; jacent & malè torquentur. Cùm manè eundum ad sacrificium Missæ, jacent & ronchos trahunt; cùm laborandum in stabulo, jacent in fœno & stramine; cùm accumbendum mensæ jacent innixi cubitis, cùm laborandum in culina, jacent in foco; cùm metendum in æstate gramen, jacent in prato; cùm evellenda in agris aut hortis zizania, jacent in molli cespite; de nocte cum jacere possent non jacent ubi & quomodo jacendum esset, sed ità iacent ut medium habeant Asmodæum, merenturque æternis jacere in tormentis & ardoribus gehennæ. Quid de paralysi dicam? Cum exequenda heri vel heræ imperia, vel adeunda ecclesia, parilysis in pedibus! Cum operæ adhibenda manus, paralysis in manibus! Cùm ferenda humeris onera, paralysis in scapulis! cùm reddendæ rationes & responsa, paralysis in lingva! cùm observandi nutus heri vel heræ (*Oculi enim Servorum in manibus Dominorum, & oculi ancillæ in manibus Dominæ* ps.122.v.2.) Paralysis in oculis; Deniq; cùm quid imponitur, quod non placet eorum genio, paralysis in corpore toto. Vnde sequitur, quòd malè torqueâtur. Malè torqueri est à dæmone vexari. à multis dæmonijs, vexâtur infideles negligentes impudẽtes famuli & famulæ, diebus laborum malè torquet eos Spiritus acediæ, illud inquã dæmoniũ, quod obsessos in sepulchri cogit corruptionem. Tempore refectionis torquet eos dæmonium paradisiacum; diebus dominicis & festis ante meridiem torquet eos Spiritus superbiæ seu Lucifer; à meridie Asmodæus, seu Spiritus luxuriæ, à quo ad saltus & choreas impelluntur. Ira eos & legio dæmoniorum integra malè torquet exagitátque, cúm aliquod verbum duriusculum audiendum

eſt. Torquet eos Mammona cùm vident ciſtas & armaria minùs cuſtodita. Denique à Belzebub exagitantur cùm diligentioribus congiarium confertur &c. Inclama illis Paule, & tuum illud repete Eph. 6, v. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore*, Non cum irriſione & contemptu, *In ſimplicitate cordis*, non in faſtu & aſtu cordis & oris; *ſicut Chriſto*, à quo omnis poteſtas eſt; *non ad oculum ſervientes quaſi hominibus placentes*, nè tantum laborare dicamini, quàm diu herus videt, quo dorſum vertente, vos otiari, nugari, fabulari delectet, ſed oculum Chriſti obſervantes, à quo, ut loquitur hom. 22. in hanc epiſtol. Chryſoſtomus: obſervantur negotia veſtra & otia, ut prœmium conferat vel pœnam, *Scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiat à Domino.* Vobis dictum eſt, quod à Salvatore JESV pronuntiatum legimus: *Ego veniam & curabo eum.* Veniet Dominus, quâ horâ non putatis, & ſeveriſſimas rationes impenſarum virium, temporis, gratiæque exiget. Audietis voce terribili fulminantem: Ego propter vos in laboribus à juventute mea, cur non & vos in mei gratiam? Ego innocens maledictionem Adæ propter vos pertuli, & pane meo in ſudore vultûs mei veſcebar, cur non & vos peccatores? Ego propter vos ſervus, & quidem viliſſimus ſervus, & tanquam ſervus peſſimus habitus ſum, cur vos ſervire piguit puduitque, ut nunc ſimiles mihi in humilitate aſſimilari deinde mereremini in gloria Ego meam vobis gratiam, ſolatium, præſentiam ſpopondi, & invitavi: *venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Cur laborare & onerari renuiſtis, ut ad refectionem meam mecum pertingeretis; Ecce quia laborare noluiſtis in terris, cùm ad laborem creati eſſetis, laborabitis in æternùm, laborabitis in gemitu vero, laborabitis ſub jugo & onere dæmonis, quod acerbum & importabile eſt. *Ego veniam* per flagella, morbos, peſtem, mortem; ego veniam vobiſcum in judicium, inquè veſtram condemnationem; ego veniam ad ridendum & ſubſan-

nan-

nandum in interitu veſtro, cum malè vobis fuerit; veniam & *curabo* non in vitam ſed mortem, non in ſalutem, ſed damnationem, non in ſolutionem, ſed confuſionem, deſolationẽ, exterminium ſempiternum.

S. 7. *Brevis ad utrosque apoſtrophe.*

Habent jam Domini & famuli, heræ & ancillæ unde ſe dirigant, corrigantque, & cum tempus adhuc ſuppetit, ſuam operentur ſalutem ac gloriam; ut fidem ac charitatem in iiſdem JESVS inveniat & laudem ac beatitatem pro voto ſuo impertiat! Vade nunc domum tuam ò here, & *Sicut vis fiat tibi*; Vade & tu famule & opus tuum imple, ut æternùm fiat tibi ſicut vis; ſaneturque æger animus, & pigra manus tua in hac hora.

PHILIPPICA X.

In Timidos,

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Quid timidi eſtis modicæ fidei Matth. 8. v. 26.

§. 1. *Ex variis titulis non timendum.*

SApientiſſimè Ariſtoteles pronuntiavit l. de mundo: *Hoc in mundo eſt Deus; quod in navi gubernator, quod in exercitu Imperator.* Imperator iſte invictus eſt, nemo ſub eo dubitet de victoria; auriga ille expertiſſimus eſt, nemo caſum & everſionem vereatur; gubernator ille fortunatiſſimus eſt, cui militat æquor, & conjurati veniunt ad prælia venti; nemo metuat naufragium. Cur ergo trepidatis Apoſtoli præſente Ieſu, qui navis veſtræ gubernator, & malus & carbaſus, & remus, & ſtella, & patronus eſt? Si timido nautæ Julius Cæ-

ſar

sar inclamavit : *Cæsarem & fortunam eius vehis, quid vereris?* Veriùs occinere vobis licet : IESVM & omnipotentiam ejus vehitis, quid timidi estis modicæ fidei? Adesset solida vobis fides, abesset profectó tremulus è corde timor. timeant lepores, trepident arundines, paveant expertes fidei homines; Vos quibus præ oculis DEVS, & charitas ejusdem fixa est in cordibus, timere, si sapitis non potestis. Contra timidos agendum est hodie, eos potissimùm, qui præpostero timore homines plúsquàm Deum timent, cum præsentissimo naufragij æterni periculo.

§. 2. Timor multis lethalis.

Inter lethiferas ànimi passiones timor est, qui multos intempestivum deturbavit in sepulchrum. Integros exercitus immisso panico timore in mutua arma ruisse sacræ literæ attestantur. Ità Gedeon complosis lagenis Madianitas terrefecit *Iud.* 7. Jonathas Philisthinorum stationem turbavit, 1. *Reg.* 14. Josaphat contra Ammonitas triumphavit 2. *Paral.* 20. Multa millia hominum in nupera contagione carbunculos ex solo ferme timore contraxêre, multi extra pestifera tempora cecidêre Libitinæ in victimam, solo metu exanimati. Scio nobilem aspectu felis obriguisse; scio principem ad præsentiam muris concidisse; Julia Pompeij uxor visis Pompeij mariti sui vestibus sangvine respersis præ timore expiravit, maritum trucidatum suspicata, cùm cruor ille ex cæsis hostibus in vestem redundârit. Cui proinde chara est vita, exosus sit timor, tanquam certissimus mortis prodromus & morte ipsâ non raró deterior. Habet verò inordinatus ejusmodi timor duplicem potissimùm originem, videlicet defectum rectæ rationis in capite, defectum divinæ gratiæ in corde.

§. 3. Causa timoris est defectus rationis.

Ecquis desipere non dicet Caligulam, qui ad quemvis cœli mugitum obvolvebat caput; ad graviora verò tonitrua de lectulo prosiliens, infra lecticam se recipere solebat, tanquam ibi tutus foret. Quis insanire neget Artemonem Philosophum, qui veritus cœli ruinam, vix unquam domo prodire volebat; quoties autem prodibat, non nisi sub scuto ibat, nè á ruituro cælo obrueretur. An non ridiculus Cassander, quem timor Alexandri in statua effícti exanimavit? An non stultus Pisander, qui verebatur nè animæ suæ occurreret? Sed ò phantastæ! ò pueri! ò rationis & generositatis omnis penitùs expertes Pepones! *Quod vides accidere in pueris* (monet ethnicus morum Magister) *hoc nobis quoque maiusculis pueris evenit*; & Chrysostomus homil. 5. ad pop. *Pueri larvas timent, ignem non timent, sic nos timemus mortem, quæ larva est contemptu digna, peccatum non timemus.* Exquo alteram inordinati timoris causam arripio, *peccatum.* *Senec epi 24*

§. 4. Item defectus gratiæ.

Nescîjt timere Adam, quamdiu innocens permansit, timere cæpit, cùm prævaricatus esset Quid Caino angustum fecit orbem terrarum nisi peccatum? Hoc Ægyptios itá exterruit, ut ad svavem auræ sibilum, ad concinnum avium concentum, ad lene murmur aquæ, ad argutum echûs sonitum, quasi fulminibus icti deficerent. Audiamus sapientem c. 7. de piscatoribus Ægyptijs in hæc verba loquentem *Spiritus sibilans inter spissos arborum ramos, avium sonus svavis, aut vis aquarum decurrentium, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant præ timore.* Deteriores Ægyptijs Israëlitæ fuere, quos exaggerata exploratorum narratio, quasi terra promissa devoraret habitatores suos, incoleretur que à Gigantibus, quibus ipsi comparati pro locustis essent habendi, (ùt videre est Num. 13. v. 33. Ità perterrefecit, ut in murmur contra Deum effusi omninò demeruerint in terram melle & lacte manantem introire; sed in deserto morti immaturæ cesserint in prædam O quot insolenti timore absterriti pedem retrò á via virtutis & vitæ tulerunt, & cœlo æternùm proscripti exulant in loco horroris & vastæ solitudinis.

Inter cætera porrò peccata, quæ metum incutiunt, defectus vivæ fidei est, ob quem redarguuntur Discipuli : *Quid*

timidi eſtis modicæ fidei? deeſt enim fiducia ac fides de præſentia & auxilio providentiſſimi Numinis, ſine cujus nutu nec capillus de capite perire, nec malus halitus afflare, nec pulviſculus inquinare, nec muſca pungere, nec mala beſtia ferire

Luc. 24. v. 6.

poteſt. *Ego ſum*, dicebat Chriſtus repetitis vocibus. *Nolite timere.* Timet leo gallum, elephas murem & grunnitum ſuis, camelus ſui ipſius umbram, timent aviculæ leonis rugitum; at nòs ratione præditi ac fide armati quid vereâur? Antiquiſſimè Bernardus in pſ. 90. v. 13. *Non ſumus beſtiæ, ut proſternat vacuus ille leonis infernalis rugitus. Rugiat quantum vult tantùm nè fugiat ovis Chriſti.* Annon vecors & rationis expers ille cenſendus eſt miles, qui tam puſillanimis eſt, ut ſolo terrore cadat? Timeret ejuſmodi miles imperatorem ſuum, cui ſtat & cadit, vix timeret tantopere hoſtem, in quem magnis animis procedere jubetur, ut vincat; *Timidi* enim, ùt canit Euripides, *Nunquàm ſtatuêre trophæum.* Egregium Clearchi Ducis Lacedæmoniorum fuit Apophtegma, quo, teſte Valerio Maximo, militarem diſciplinam inſigniter continebat: *A militibus Imperator potius quàm hoſtis metui debet.* Si verus timor Dei animis multorum ineſſet, omnis inde evaneſceret trepidatio:

Valer. Max. l. 2. c. 2.

Eccl. 36. v. 16.

Qui timet Dominum, nihil trepidabit. E contra qui Dominum non timet, omnia tuta timebit. Lata eſt ſententia in timoris Divini expertes: *Terrebit eos ſonitus folij volantis, & itá fugient quaſi gladium* Lev. 26. v. 36. Ità factum eſſe teſtatur Pſaltes pſ. 13. qui ubi de impijs dixiſſet: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum,* paulò poſt ſubiungit: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Monet proinde D. Auguſtinus Con. 2. in pſ. 32. *Fera ſævit, Deum time; ſerpens inſidiatur, Deum time; homo te odit, Deum time; diabolus te impugnat, Deum time; tota enim creatura ſub illo eſt, quem iuberis timere.* O ſi hunc filiali timore proſequeremur, quàm terribiles Dæmonibus, venerabiles hominibus, amabiles Angelis evaderemus. Verùm quia homines magìs, quàm Deum veremur, hominibus & Angelis non ſpectaculo ſimus, ſed deſpectui & cachinno.

Ex quo

§. 5. Nihil magis timendum, quam nè homines timeamus. Benedictus Eadel. fer. 4 poſt Domin. 4. quadrag. Conſider. 2.

Ex quo patet, nihil æquè timendum hominibus, quàm nè homines timeant; ab inordinato enim hominum timore certiſſimus Dei contemptus & omne flagitiorum genus emanat. Vt ad idololatriam Nabuchodonoſor univerſos induceret à principibus cæpit, *Vt convenirent ad dedicationem ſtatuæ* Dan. 3. v. 3. Principes congregantur ad adorandum, ait Doctor Maximus, ut per principes ſeducantur & gentes. Solent alioqui principes in adorando eſſe ultimi, cur hìc primi ſunt ad enormem ſtultitiam & ſtultam impietatem exercendam? reſpondet idem Hieronymus; quia timebant privari Regis gratià, & bonis. *Dum timent carere divitijs & potentiâ, facilius ſupplantantur.* Nimirum, ut Ariſtophanes cecinit: *Timidiſſimum quid divitiæ; timidus Pluto.* Plùs ſatrapis peccavit Aaron, dum abſque cunctatione vitulanti populo idolum & aram erexit, atque ad ſolennitatẽ poſteri diei univerſos invitavit, *Exod.* 32. Quomodo tanta in Aronẽ cadere potuit ſtultia? Quomodo tam citò mutatus ab illo? Cur gladiũ nõ ſtringit, aut certè vehementi oratione facinus populo non diſſvadet? Cur ipſe corpus & ſangvinem pro divino honore non immolat & mori prius eligit, quam ad idololatriam cooperari, timor in cauſa fuit: *Timens nè denegando occiderent eum,* Ait Antoninus p. 4. tit. 14. c. 4. *Sicut Hur collegam ſuum ſputis occiderunt, qui eos arguebat de tanta ſtultitia.* Timuit ergo Aaron populum, quia non timuit Deum, cujus timore deſtitutus in enorme ſcelus prolapſus eſt. O quot hodie in paria vel graviora adhuc degenerant ſcelera! quia timent!

Cur in profundum flagitiorum devenerit Maria Magdalena, cauſam non putido Amori, ſed timori adſcribit D. Vincentius Ferrerius ſerm. de S. M. Magd. Cùm enim à nobili Juvene in crimen adducta clàm fuiſſet, gloriatus deinde ganeo coram ſodalibus de ſcelere eſt, quibus ut eadem obtingeret præda, propalandi flagitij metum incuſſere, & pudorem denique juvenculæ excuſsêre, ut fieret in civitate pec-

catrix

catrix & frontem omnem exueret, quæ homines plus æquo
verecundebatur; *Venerunt ad eam dicendo: certo nisi mihi consen-*
*tiatis, ego revelabo.*Ità Ferrerius, qui fortè ad hoc sentiendum
inductus fuit historiâ Lucretiæ, quam Tarquinij superbi filius
Abul. in 1. paralip. 17. quæst. 21. suam traxit in libidinem hoc incusso metu, ùt refert Tosta-
tus, si non consentiret, occideret eam & quendam pariter ser-
vum, ponerètque in lectum ejus utrumque occisum, & di-
ceret occidisse se ambos, quia invenerat eos pariter commis-
ceri. Sic territa Lucretia timore infamiæ futuræ commisit
adulterium. Hæc Tostatus. O si & Lucretia & Magdalena Su-
sannæ habuissent Spiritus, & divino plenæ timore humanum
procul amandâssent. Sed quid ego fæminas loquor? Quid
Adamo timorem justi Numinis excussit, nisi præposterus ho-
minis unius timor; Tostato credamus qv. 10. in c. 3. Genes.
Adam consensit uxori, ne eius delicias contristaret. Timuit offendere
conjugem, & non timuit offendere Deum, timore idcirco
insano punitus, ut ad ficuum folia confugerit quasi tutus in-
ter illa lateret. Si Adam tot naturæ & gratiæ prærogativis
exornatus, timore nihilominus corripi potuit ac corrumpi,
quàm periculosa sit timoris tentatio, facilè conijciemus O-
rat proinde David Ps, 63. v. 1. *A timore inimici eripe animam me-*
am. Non ab inimico eripi petit, nõ à gladio ejus & sangvinaria
manu, sed à timore: *Eripe, non ut non occidar, sed nè occidentem*
carnaliter verear ait Dionys. Carthus: in c. 2. L. Sicut enim ex cõ-
muni adagio: *Peior est bello timor ipse belli*; ità & *peior est lecho timor ip-*
se lethi, Timor inquã tot lethalium causa potissima peccatorum.

Inter immunda animalia DEVS posuit leporem Lev. 11.
quia tam timidus est teste Plinio, ut non raro ad canum præ-
sentiam exanimis corruat, symbolum hominis meticulosi,
quem Deus nec ad aram tolerat, nec convictu cæterorum di-
gnum judicat, idque per leporem ab aris & mensis remotum
manifestè indicat. Ite timidi lepores, procul ab ara, procul à
cœlo; ite cerbero in offam, aut venatori stygio in prædam.

At

At nunquid timuit summus Sacerdos Christus, cúm cru- *§. 6. Cur Christus in monte oliveti timuerit*
entum in oliveto inchoaret sacrificium? *Cæpit pavere & mœ-*
stus esse. Marc. 24. v. 33. respondet ad hanc objectionem in-
geniosè D. Bernardinus serm 45. in quadrag. Quod timo-
rem quidem sponte Christus admiserit (dicitur enim *cæpit*
pavere) tanquam tentationum gravissimam, ut esset tentatus
per omnia; verùm ad hanc tentationem superandam luctatus
est ad sangvinis usque effusionem, & agoniæ deliquium. Cúm
enim timor sangvinem in corpore Christi constringeret &
ad cor revocaret, noluit sponsus sangvinum passionem hanc
diutius tolerare, sed adusque sangvinem contra timorem lu-
ctatus, generose triumphavit, Placeat audire Ecclesiastem Se-
raphicum: *Concurrerunt ad invicem timor & amor; scilicet timor pœ-*
næ, quam passurum se intelligebat, qui timor pœnæ fecit currere sangvi-
nem ad cor. & amor humani generis, pro quo passurus erat similiter con-
currit ad cor. Et tunc amor ità implevit cor, quòd cùm subitò & magno
impetu expulit à corde sangvinem dicens: Exi foras sangvis, quia amor
vincit timorem, qui volo, quòd Christus moriatur pro populo suo Christi-
ano, & cum tanto impetu tetigit cor Christi, quòd omnes pori corporis
aperti sunt. Hæc ad verbum Bernardinus. Certo ab ea hora
nullius ampliùs timoris in Christo signa; obviàm enim pro-
cessit hostibus, generose respondit Pontificibus, animosissi-
mè mortis sententiam excepit, & mortem ipsam valido cum
clamore in generosi pectoris sui contestationem, spiritum e-
mittens, superavit.

Mittamus proinde timorem, dictùmque nobis putemus, *§. 7. Homines capit, qui homines non timet.*
quod in navicula Christus Petro dixit: *Noli timere; ex hoc e-*
nim homines, eris capiens Luc. 5. v. 10. Quasi dicat: Si non ti-
mueris ô Petre homines, ab hominibus non seduceris, non
perverteris. O non timuisset Petrus, certè Magistrum suum
non negâsset. *Noli timere.* Ex hoc enim signo piscaberis ho-
mines ad salutẽ & vitã si homines non timeas! Quemadmodũ
enim piscator non capit piscem, quem timet (sicut Tobias

 piscem

junior anonymū illum piscem, de quo ad Angelum exclamavit: *Domine invadit me.* Tob 6. v. 3.) ità prædicator non convertet populum, quē timet. Exuere Moyses jubetur calceos Ex. 3. v. 5. Hoc est timorē ponere, ùt explicat D. Ambrosius in c. 10. Luc. & Ezechiel adamantinam assumere faciem *Ezech.* 3 v. 9. ut suo respondeat muneri. Sed non loquor concionatorib⁹, populo prædico: *Noli timere; ex hoc enim eris homines capiens,* ut te timeāt & homines & dæmones time. Vt capias & homines, & tuæ subijcias potestati dæmones, hos & illos timere noli.

PHILIPPICA XI.

In dæmones Incarnatos, sive Invidos. DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13. v. 28.

§. 1. *Invidia hominem mutat in dæmonem.*

PEr inimicum hominem omnes interpretamur diabolū, qui cur *homo* appelletur? rationem congruentissimam esse censeo; quia clypeum & nomina sua libenter cum homine mutat, qui dum propter sceleris cujusdam abominationem incarnatus dæmon appellatur, dæmon vicissim nomen saltem hominis sibi assumit, dicique vult *inimicus homo.* At quodnam illud peccatum est, quod execranda metamorphosi hominem transmutat in dæmonem? communi Patrum, quos audituri sumus, suffragio, Invidia est, crudelis illa vipera, quæ (ùt S. Augustinus sermon. 83. de tempore loquitur) illam ipsam causam à qua concepta est, consumit & perdit; fera illa pessima, quæ non tantum Josephos devorat,

rat, sed quoscunque occupârit in malitiam diabolicam, ut sic dicam incarnat. Hæc est illa trivenefica Circe, quæ Angelum in diabolum, hominem in Angelum Sathanæ transformat. Hæc est illa furiarum maxima, quæ intolerabiliores gehennâ ipsâ dolores in cor invidi imprimit. Parum est invidiam appellâsse *Vlcus* cum Socrate; *Putredinem ossium* cum Salomone; *Serram, quâ anima finditur* cum Anacharsi; *Tormentum,* quo majus Siculi, imò stigij non invenêre tyranni, cum Horatio; quinpotiús matrem omnium dæmoniorum appellemus, quæ genesi infaustissimâ homines in dæmones regenerat: hoc enim nomine sinè injuria invidos insigniri, præsenti dictione demonstrabo, utinam tam feliciter, ut novam invidiæ materiam in majus eorundem suggeram tormentum.

§. 2. *Solitudines quas dæmon incolit, invidos significant*

Dæmonem ab homine expulsum petere loca deserta dixit Servator, docètque experientia in deserta potissimùm loca dæmones ab exorcistis relegari. Quæ sunt loca illa solitaria, quibus tantopere dæmon delectatur? Invidi sunt, qui soli videri æstimarique volunt, oderunt compares, despiciunt socios, superiorem tolerant neminem, solitarij sunt, sed erronei; errant in solitudine sua juxta illud Psaltis: *Erraverunt in solitudine in inaquoso:* Solitudo hæc superborum est, inquit mellifluus Doctor, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. In hasce solitudines migrat dæmon, ne soli sint, imò ut magis & *soli* & *soles* sint; invidus enim in solitudine sua sol esse vellet & fit Lucifer, quem alterum solem vocat Plinius. Lucifer in cœlo sol alter affectabat esse, similis videlicet Altissimo, idque ex invidia generis humani, ùt docent eximij Theologi. Sed sicut Lucifer erravit in solitudine sua, cùm sol esse vellet, & in lunam, stultitiæ symbolum abiit, cornibus arrogantiæ insignitus, imò ex principe lucis in tenebrarū principem degeneravit; similiter invidi, qui lux gloriæ, & sapientiæ sol esse volunt, (quibus insigni ironiâ dicitur) *Ergo vos soli estis homines & vobiscum morietur sapientia,* Job. 12. v. 2.

Psal. 106 v. 4.
S. Bernardus ser. de fallac. præsent. sæculi.

Luci-

Luciferi fiunt, luna fiunt, ſtulti fiunt, tenebriones fiunt (*ſtultus* enim *in tenebris ambulat*) quos difficulter ab his tene-
Eccleſ. 2. §. 14. bris & ſtultitia revocatos menti lucique reddideris. *Erra-runt in inaquoſo*; Quia fontem lacrymarum & pœnitentiæ gra-tiam non inveniunt.

§. 3. Invidia inſanabile malũ. 1. Ioannis 5. §. 16. Sicut enim peccatum dæmonis inſanabile eſt, ità & in-vidorum *eſt peccatum ad mortem*, inquit dilectus diſcipulus, *no pro illo dico, ut roget quis.* Quodnam illud peccatum adeò enor-me, ut ægrè & perraró ad ſanationem perveniat, non quid ex Medici defectu, qui ſanare omnia ſcit & poteſt, ſed ex pra-vis diſpoſitionibus, quæ unà in anima peccatoris naſcuntur ideòque preces pro illo offerri vetet Joannes? Si Auguſti-ſtamus judicio, hoc peccatum inſanabile eſt invidia, quæ cœleſtibus donis in proximo viſis contrahitur; ſic enim ob-tenebrat invidentem, ut videns non videat, & odio tabeſcens putet nihilominus à ſe proximum amari. Verba Hipponen-
Auguſt. lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. ſis Oratoris ſunt: *Peccatum ergo fratres ad mortem puto eſſe, cùm quiſque oppugnat fraternitatem, & adverſus ipſam gratiam invidentiæ fa-cibus agitur. illius peccati tanta labes eſt, ut deprecandi humilitatem ſu-bire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia & agnoſcere annunciare cogatur. Quam mentis affectionem iam de damnatione il-habere credendum eſt. Et hoc eſt fortaſſe peccare in Spiritum Sanctum id eſt per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare charitatem, quod peccatum Dominus neque hic neque in futuro ſæculo remittendum dicit.*
Baſilius Mag. Orat de odio. Ex quo infert Baſilius Magnus: invidiam non humanum ſed diabolicum dici debere peccatum: *Invidentia revera eſt propria diaboli affectio.* Invidiæ peccato Cain ſe obſtrinxit, nec tamen poſt innumeras DEI commonitiones pœnituit ſed majus eſſe peccatum ſuum jactavit, quàm ut veniam mereretur, an n diabolica hæc erat obſtinatio? *Invidentia revera eſt propria dia-boli affectio.* Invidiæ peccatum Saul admiſit, nec poſt crebram ſceleris ſui agnitionem, in gratiam cum Deo & David rediit ſed in priſtina recidivus odia culpas culpis cumulavit, an non

dæmo-

dæmoniaca hæc nequitia? *Invidentia revera eſt propria diaboli af-fectio.* Ex invidia Judæorum populus, authorem vitæ morte turpiſſimâ affecit; nec tamen de ſangvinaria cæde hodièque indolet, ſed quem ſibi & poſteris imprecatus eſt ſangvinem, denuò ſitit & quotidie effundere deſiderat, *Invidentia revera eſt propria diaboli affectio.* Non redeunt invidi ad mentem & frontem cum prodigo & Magdalena, non execrantur ſordes ſuas ùt Matthæus & Zachæus, non retractant blaſphemias ſuas cum latrone crucifixo, ſed quamvis doloribus inferni circumdentur, dolere tamen ſalubriter neſciunt, quamvis conſcientiæ ſtimulis agitati, & pœnis attriti innumeris, pœni-tere nihilominùs nolunt; quia Zelo invidiæ, ùt Chryſologus de epulone loquitur ſerm. 121. magis incenduntur, quàm gehennâ.

Audet dicere Anſelmus, longè faciliùs ſalvandos, qui parùm bonorum operum exercent, ſua tamen alijs favent merita, quàm qui eximijs pleni facinoribus, invidiâ in proxi-mos tanguntur: *Magis puto eius Salvationem ſperandam, qui pa-rùm boni facit & benefactis aliorũ favet, quã illius, qui multa, & invidet.* Sis Angelo purior, quovis Patriarchâ fidelior, Prophetâ ve-racior, Apoſtolo ardentior, Martyre tolerantior, Confeſſore vigilantior; ſi proximo bonum, quod minus vel majus tuo habet, non faves, factus es quovis ſcortatore & prædone & ſacrilego ſceleratior. Non mea hæc, ſed Chryſoſtomi eſt o-ratio: *Ob hoc certè* (invidiæ crimen) *ut ſigna quis edat, ut virgo permaneat, ut ſobrius ſit, ut humi etiam decubet, atque eiuſmodi virtu-tibus vel ad ipſos Angelos accedat, omnium tamen ſceleratiſſimus fuerit; hoc vitio invidiæ ſi laboraverit, & adultero & ſcortatore & prædone & ſa-crilego iniquior.* Inſinuavit hanc veritatem Salvator, cùm mul-tos ab oriente & occidente venturos aſſeruit, qui cum Abra-ham, Iſaac & Jacob in regno cælorum recumbent, filijs re-gni in tenebras exteriores ejectis. Quam parabolam expen-dens Orator aureus, ob invidiæ peccatum filios regni proſcrip-

§. 4. Invidus quovis alio peccatore ſceleratior

Anſelm. lib. de ſimilitud. c. 4. 5.

Chryſoſt. homil. 7. ad Rom.

Matth.

N tos,

tos, idololatras verò & sceleratissimos alios nebulones invidiæ minùs obnoxios, ad regnum & epulum esse admissos agnoscit: His profectò de causis, fornicatores & Publicani ad cœlos ascendere potuerunt. obscœno autem invidiæ laborantes malo, à regno cœlorum exciderunt. Non ergò desperet adulter, raptor, sacrilegus, dummodò invidus non sit; desperet devotus, munificus, abstemius, alijsque operibus pietatis addictus, nisi invidus esse desiêrit. Sive miserearis, sive vigiles, omnium es scelestissimus, cùm invides fratri: & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & brevi correctus. Abeli Cain invidit, sed sanatus non est; Quin & Deo statim ipsius ulceri curam afferente magis intumescebat, & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ità hoc vitium illo pejus est, nec medicinæ, quamcunque adhibuerimus, facilè cedit. Hæc ad verbum Chrysostomus hom. 44. cur verò medicinæ non cedat, causa unica est, quià invidia diabolicum peccatum.

§. 5.
Invidia est diabolicum peccatum

Invidiam vocat S. Cyprianus *Calamitatem sinè remedio*, D. Chrysostomus *Ignem inextinguibilem*, S. Bernardus *Mortem vitalem*: Vbi invidia, ibi mors: Non potest simul invidere & vivere: magis vixit, etiam post fata Abel quàm Cain, illius enim sangvis vitali voce clamavit, hujus verò vox & vita, mera mortis imago fuit: Omnis qui invenerit me occidet me. Non potes invidere & vivere.

Cypr. orat de lib. Chrysost. hom. 34. in Ioan. Bernar. ep 7.

Gloriatur vas electionis Paulus vitam suam absconditam esse in Christo: *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus.* Invidus è contrà dicere habet: vivo ego jam non ego, vivit verò in me dæmon. In dæmone omninò vivit omnis invidus, quod ita demonstrat Basilius Magnus orat. 1. *Si Deus, uti Joannes inquit, charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo, ipsa invidia dæmon sit oportet; ut igitur, qui charitatem habet, Deum ipsum in se manentem habet, ità qui invidiam fovet, dæmonem haud dubiè in seipso nutrit atque alit.* Si dæmonem alit, alit & infernum incar-

Gal. 2. v. 20.

Ep. 1. c. 4. v. 16.

natus revera dæmon, ac psalticum illud repetere potest: *Dolores inferni*, vel ùt Augustinus legit. *Dolores invidiæ circumdederunt me.* Fugiamus itaque invidiam, præclari illius moniti quod Veronensis Martyr D. Zeno dedit, nunquam non memores: *Fugiamus invidiam obstaculum regni cælorum, viam gehennæ, pignus & primitias quasdam pœnæ perpetuæ.*

Ps. 17. v. 2.

Vidit aliquando D. Brigitta animam damnati, juxta quã dæmon stabat, quia similis simili gaudet & noscitur ex socio. Anima porro damnati ita Deum alloquebatur: quàmvis possem salvari non vellem, nè tu consolationem & gaudium haberes de me. Cuius dicto annuens & consonans dæmon ajebat: Talis est etiam mea voluntas. Quam visionem illusionis carere periculo, ex Evangelica confirmor parabola, ubi audio fratrem seniorem nolle paternam domum ingredi, quia in ea fratrem minorem è loginqua regione reducem epulari ac jucundari videt, invidetque. *Senior dicitur*, inquit S. Ambrosius in Luc. 15. *eò, quod per invidiam citò aliquis senescat*, ut inveteratus malorum dici possit; ingredi domum patriam recusat, quia non vult fratre non pereunte salvari, inquit epi. 46. Hieronymus: Invidet dæmon homini, invidet homo consolationem & gaudium Deo suo, ad eamque invidendam suo dæmonem excitat exemplo: Talis est etiam mea voluntas, ô maledicta in omnes æternitates voluntas! ô vox digna, quam non nisi dementissima malignissimaq; creatura proferat! nolle favere Creatori consolationem ex obiecto misericordiæ, & nescire, non posse nihilominùs justo Judici tolli consolationem ex objecto justitiæ

Brigitta apud Bened. fidel. ser. 20. quadranam. 12.

§. 6.
Homo invidus dæmone pejor

Perquám ingeniose adnotavit Ethnicus Plutarchus de odio & invid. Tom. 1. Neminem hominum esse, qui de hoc scelere glorietur, sed de quovis alio potiùs, quam de invidia: *Invidere se omnes negant.* Glorientur licet in rebus pessimis, prædas & cædes commissas exaggerent, adulteria propalent, fraudes & odia detegant, at invidere se omnes negant. & quam-

quamvis palpabilis eorum sit invidia, & pueris lippisque tonsoribus nota, invidere tamen se negant. Quodsi quis eis ostendere conetur, inquit ulterius Plutarchus, mille excusationes afferunt, huius affectionis nomen obumbrantes, quasi hæc sola animi ægritudo celanda sit. Cur celant invidi morbum, cur negant livorem suum? Quia morbus est non hominum sed dæmonum, nec homines ipsi appellandi sunt, sed incarnati dæmones. Quid dixi dæmones? non est simplex dæmon, quisquis invidet, sed immanis archidæmon, & quovis dæmone deterior. Vtrumque asserit Chysostomus: *Pestiferum malum invidia, hominem in diaboli conditionem & in dæmonem immanissimum convertit.* Immanitatem inde collige, quia dæmō dæmoni non invidet sicut homo homini: *Invidet Satan sed hominibus, socio autem nemini. Tu vero homo cum sis, hominibus invides.* Fratribus & commembris tuis invides; tibi ipsi immortale bonum, quod è proximorum dilectione participaturus eras, invides, an nō dæmone deterior? Bene proinde subjungit Chrysostomus: *Invidus ipse diabolo magis diabolus est.* Deinde invidus, dæmonem, etsi hic vellet, quiescere non permittit, sed ex alijs ad alia damna humano generi inferenda excitat, juxta illud Jobi c. 3. v. 8. *Parati sunt suscitare Leviathan.* Bonus videri dæmon posset, nisi continuò urgeretur ab invidia, & circuire ad quærendum, quem devoraret, juberetur. Spiritus Domini malus dicitur ille, qui Saulis invidiam plectere jussus est, quasi dæmon vocari possit bonus, qui homini invido non componitur. Invidia dæmonis dæmon. Quid Angelum pulcherrimum in turpissimum deformârit dæmonem, docuit serm. 148. Chrysologus: Invidia scilicet, ob quā diabolus esse maluit, quam hominem paulò minoratum ab Angelis videre. Vidit enim, ùt homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret; sed hæc omnia ne esset homo Angelus qui inter primos habebatur invidit, maluitque in diabolum commutari, nè hominem plenum gloriâ sic videret. Hæc ser-

Chrysost. hom. 41. in Matth.

1. Reg. 16. v. 16.

sermonis aurei Orator. Mutavit ergo invidia Angelum in dæmonem, quidni commutâsset & hominem, & quidem in immanissimum & nequissimis nequiorem.

§. 7. *Imprecatio.*

Sed quid mihi cum incarnatis hisce dæmonijs frustraneus tamdiu sermo est? Ad pœnitentiā eos moveam & emolliam? Scilicet, ubi Lucifer resipuerit, ad malam eos crucem ire jubeā? jam sunt in pessima; Ab invidia eos dehorter tanquam malorum omnium pessimo? Imò ad invidiā adhortabor, ut magis tabescant & urantur. Invidete ô invidi omnibus, at nemo vobis. quidquid aspicitis, felix faustum fortunatùmq; sit, ut infelicitatis vestræ cumulus augeatur. Videte peccatores, fremite, frendite, tabescite, salvari nolite, nè ex salute vestra Deus gaudium, sed ex tormentis vestris honorem habeat & solatiū. Vtinam vel invitos in medio Angelorum & Cherubinorum collocare vos mihi liceat, non ad solatium sed tormentum vestrum; credo enim D. Antonio Padvano docenti: *Magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria paradisi, inter Angelos nimirùm animasque beatas.* Ideo & fratres vestri in aëre hærere permittuntur, neq; carceri stygio mancipantur, ut invidiâ magis, quàm gehennâ affligantur. S. Bernardum docentem audio: *Diabolus in pœnam suam locum in aere medium inter cælum & terram sortitus est, ut videat & invideat, ipsaque invidiâ torqueatur.* Videte & invidete, tabescite & inardescite amplius! nunquam satis.

S. Anton. Pa. fer. 4. post Dom. Passionis.



PHILIPPICA XII.

In male fermentatos seu Impatientes DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Simile est regnum cælorum fermento Matth. 13. v. 31. & 33.

§. I. *Sicut cælorũ ità & inferorum regnum sinapi & fermento simile.*

QVemadmodùm regnũ cælorum simile est grano sinapis & fermento ita & fermento granoq; sinapis simile est regnũ inferorum Simius enim Dei dæmon, regnũ suum ad eam formam ac similitudinem instituere satagit, quiâ regnum gloriæ præparari ac reformari ab Homine Deo animadvertit. Minimum est sinapis granum, minimum se cũ Paulo quisq; elect⁹ reputat. Reprob⁹ pariter quodlibet peccatũ pro minimis habet, & à minimis incipit, ut ad maxima perveniat. Granum sinapis cum teritur, accenditur; Electi cùm patiuntur, inflammantur cum Laurentio; reprobi dum adversitate quapiam teruntur, impatientiâ æstuant & latirantem in pectore ignem manifestant. Granum sinapis lachrimas excutit, frontem corrugat, mordet lingvam & cum amaritudine exasperat; quia, electi ùt D Ambrosius ser. 2. in hodier. Evangel. loquitur: Contristantur animo, affliguntur corpore, permoventur ad lachrymas, & salutem suam cum quodam fletu ac mœrore consequuntur; sed & reprobi innocentibus lacrimas excutere, curas irrogare incurias, mordere, exasperare, & amaritudines facessere gaudent, verè granum sinapis, sed diabolicum. Fermento pariter simillimi sunt

sunt, qui toties & tàm facilè sunt, *In fermento*, & modica de causa totam massam virtutum exacerbant & corrumpunt. Contrà hos malè fermentatos agamus hodie in azymis synceritatis & veritatis.

§. II. *Quatnor decim Antitheses inter patientiam & impatientiã.*

De fermento agens Paulus paucis complectitur plurima: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis noua conspersio sicut estis Azymi.* 1. Cor. 5. v. 6. & 7. Modicum fermenti universam desipit (prout Tertullianus vertit) massam, impatientia omnes virtutes, omne meritum, omnem honorem corrumpit & infascinat. Cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua, quæ iam gesta sunt, destruuntur, ait S. Gregorius cit. à V. Beda. S. Chrysostomus verò hom. 4. ad populum. illam domum ait ædificari super arenam, quæ non ædificatur super exemplarem patientiam. Consentit Chrysostomo S. Augustinus ser. 16. ad fratres in eremo *Sicut per impatientiam omnia destruuntur bona, omniaque suffocantur optima, sic & per patientiam omnia generantur bona.* Omnes iniquitates demerguntur in profundum. Ionas grande impatientiæ speculum c. 4. v. 5 *Petivit anima sua ut moreretur & dixit: Melius est mihi mori, quam vivere.* Cur? *Percussit sol super caput Ionæ & æstuabat* (magis impatientiâ intus, quam calore solis foris) percussit hederam & exaruit. O quàm bene S. Bonaventura l. 2. De perfect. Relig. c. 36. Plures videm⁹ castos, abstinentes, pauperes, semetipsos humiliantes, eleemosynas facientes, orationibus instantes, sed paucos patientes. In tempestate quàm humilis Ionas, in ventre ceti quam devotus, in prædicanda pœnitentia quám zelosus, sed quia impatientiæ locum dedit, grandem gloriæ suæ maculam intulit, nimirùm, *Per impatientiam omnia destruuntur bona, omnia suffocantur optima.* Quot bona homini confert patientia, tot damna impatientia infert. Patientia vincit omnia, omnia perdit impatientia. Exemplum dedêre Jacob & Esau, quorum is patientiâ & labore superavit omnia, hic verò præ impatientia

entia famis, primogenituram in eaque omnia prodegit, atq; ut Petri verbis utar: In abſtinentia patientiam, in impatientia pietatem amiſit, nimirū: *Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præſentia inficit, futura impedit.* Facin. l. 1. Epiſt. Patientia colligit roſas, impatientia colligit ſpinas; ſpectaculum fecêre duo latrones Crucifixi cum IESU, quorum alter non roſam unam aut roſetum integrum, ſed paradiſum totum collegit; alterum verò impatientia ſua in ſpinas maledictionis colligavit. Patientia opus perfectum habet; impatientia perfectiſſimum quodque opus deſtruit; ſicut Thomas Aquinas vocalem ſtatuam Alberti Magni viginti annis elaboratam Coloniæ deſtruxit. Patientia animam poſſidet, impatientia prodigit. Vide Achitophel, quem impatientia ſpreti conſilij redegit ad reſtim. Patientia malorum omnium remedium Jobo eſt; Impatientia dolorum omnium augmentum Sauli, cùm violentas ſibi manus inferret. Patientia imperia comparat, prout de Romanis Sacer Chroniſta aſſerit: *Poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientiâ* 1. Machab. 8. v. 3. Impatientia regna & imperia funditus evertit; Sicut impatientiá Roboami regnum Iſraëlis, & impatientia Abner règnum Iſboſeth, & Narzetis ſpadonis furor, imperium Romanum Longobardorum gladijs cladibùsque involvit. Patientia ad honores & thronos elevat, ſicut Moyſen & Mardochæum elevavit; elevat & impatientia, ſed in malam crucem, Amanē & Judam. Patientia de ventre ceti Jonam educit, impatientia in profundum rubri maris Pharaonem inducit, ſubmergitque. Patientia vinculis liberat Joſephum; impatientia cōpingit in compedes Sedeciam & Manaſſem. Impatientia ignitos ſerpentes provocat in populum electum; patientia viperas innoxias facit in manu vaſis electionis. Patientia divitijs, gloriâ, felicitate Tobiam auget; impatientia Nabuchodonoſorem, Nicanorem & plurimos alios omni ſpoliat proſperitate. Patientia Samuelem DEO hominibùsque reddit amabilem,

Petr. Ep. 2. c. 1. v. 6.

Iacob. 1. v. 4.

impatientia Achabum DEO hominibusquè reddit exoſiſſimum. Patientia debiles, claudos, cœcos ad nuptias magni Regis introducit; impatientia majorem natu fratrem à vitulo ſaginato & ſymphoniâ ſvauiſſimâ excludit. Patientia res DEI, inquit Tertullianus, impatientia opus diaboli; ubi patientia ibi Deus, ubi impatientia ibi dæmon. Davidem & Saulem recogita; vir ſecundùm cor DEI David eſt, quia patiens; alter propter impatientiam dæmoni traditus in poſſeſſionem.

Optarem, uniuſcujuſque noſtrûm menti inſculpere aurea illa D. Cypriani Rhetoris & Martyris verba liceret, quæ l. de pœnit. conſignavit: *Vt patientia bonum Chriſti eſt, ſic contrà impatientia diaboli malum: & ſicut in quo habitat & manet Chriſtus, patiens invenitur; ità impatiens ſemper exiſtit, cùm mentem nequitia diaboli poſſidet.* Eapropter facilè erit conjecturare, Chriſtus an dæmon cor noſtrum poſſideat, ex patientia vel impatientia.

O fervor iræ dæmonis domus horridi!

Iraſcor ira, dæmonis intus abditi, exclamat Nazianzenus carmine de ira; domus ergo dæmonis eſt cor impatientis.

Quærit ingenioſè more ſuo Tertullianus, quis primus impatientiæ peccato ſe contaminârit, an Cain cùm Abelem interemit? An Adamus cùm à muliere ſibi impoſitum eſſe dixit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi* Gen. 3. v. 12. An Eva, cùm unius arboris uſu & eſu ſibi interdictum doluit? & reſpondet; primum impatientiæ peccatum non ab homine, ſed ab Angelo patratum eſſe: *Natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo, iam tunc cum Dominum Deum univerſa opera, quæ feciſſet, imagini ſuæ id eſt homini ſubiecisse impatienter tulit. Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet; nec invidiſſet homini, ſi non doluiſſet. ideo decepit eum, quia inviderat, inviderat autē, quia doluerat; doluerat, quia patienter utique non tulerat* Hæc ad verbū Tertullianus lib. de patient. Primum ergo peccatum fuit impatientia, quæ ſicut apoſtatare in cœlo fecit Angelum, ita & apoſtatare in

S. 3. Quis primus peccarit impatientiâ.

deserto populum electum teste D Cypriano in illud Exod. 32. v. 1. Videns autem populus, quòd moram faceret Moyses: *Quod Iudaicus populus perfidus & ingratus extitit, quòd à Deo primùm recessit, nonne impatientia crimen fuit? Nec unquam ab eadem impatientia destitit, quo minus crucem & sanguinem Domini prosiliret.*

S. Zeno ser. de pat.

Benè proinde de impatientia D. Zeno dixit: *Impatientia Mater criminum, author detestabilium, magistra malorum, actus improvidus concitans in ruinam.* Si S. Bernardum interrogem, quid sit impatientia? respondebit: *Anima perditio. vide nè per impatientiam pereas. Qui patientiam non servaverit, perdet iustitiam, hoc est, vitam perdet.*

S. Bernardus ser de obedientia & ser. 2. de resur. Idem in flor. c, 16 5.

§ 4 Impatientia generat mortem.

Impatientia fermentum est, quæ totam massam corrumpit; habitus pestilens est, qui fortissimum interficit hominem; scintilla est, quæ magnum excitat incendium; sicut unum pulveris pyrij granum, si in dolium simili pulvere plenum cadat, aut sicut idem granulum illapsum forte in bombardæ oneratæ orificium, bombardam displodit & ferreas mortes evomit; Ità unica impatientia & sæpe de causa levissima exorta exitium plurimis affert. An non impatientia Theodosij Imperatoris ob interemptum á pauculis Thessalonicensibus Cæsareum præfectum, septem innocentûm millia internecione delevit? annon Herodis impatientia quòd delusus esset à Magis, quatuordecim millia parvulorum extinxit? An non Nazarenorum furor ob paucula verba à Christo prolata: *Vbique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum*, in præcipitii periculum Christum adduxit? nec alienæ tantùm vitæ insidiatur impatientia, sed propriam cumprimis funerat.

Baron. ad Anno 390.

Wenceslaum Regem Bohemiæ, Mathiam Hungariæ, Valentinianum impatientia una extinxit, de ultimo sic Sozomenus l. 6 c 6. *Valentinianus Imperator expeditionem in Sarmatas & Quados facturus, legatis eorum pacem rogantibus, simul intellexit suæ gentis honoratissimos esse, tantopere ob indignationem stomachatus est, ut ruptis venis mortuus subito corruerit.*

Inglo-

§. 5. Impatiens inglorius, & stridulo similis carro.

Ingloria (quis neget) eiusmodi mors est, quin & ingloria eorum est vita & belluinâ deterior! Ex Seneca veritatem audiamus, in impatientes ita detonante: *Pusilli hominis & miseri est repetere mordentem, ut mures & formicæ, & ad quas si manum admoveris, ora convertunt. Imbecilia se lædi putant, cum tanguntur.* Tange formicam, tange murem, tange aviculam, statim exardescunt in iram, quia imbecilia sunt, & se lædi putant; tange equum, tange molossum, tange Elephantem, non difficilè ferent, quia animalia generosa sunt. *Ille magnus Nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit.* Ità Seneca l. 2. de ira c. 32. & 34. Cuius censurâ muribus & formicis pares sunt, deteriores verò leonibus & elephantibus, qui facilè cedunt impatientiæ, murmurant, mordent, ringuntur, si tanguntur, quia se lædi putant. Divinus Siracides stridulo carro eosdem confert & fatuos appellat: *Præcordia fatui quasi rota carri* Eccl. 33. v. 5. Fatuam vocat, quia omnis impatientia insaniæ affinis est. Insanimus omnes, cùm irascimur, inquiebat ethnicus Philemon. Sanctiùs D. Ioannes Damascenus scripsit: *Stultitia est impatientem se præbere*, Causam porrò, cur stulta sit impatientia reddit D. Augustinus tom. 4. in hæc verba: Impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt, ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo committere, & leviora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur, & peiora evadunt, quibus per impatientiam mergerentur. *Præcordia fatui quasi rota carri* Stridet, & aures molestiâ afficit; & cur stridet carrum? Quia inunctum non est: & cur ad impatientiam facilè concitatur mortalis? quia unctionem Spiritûs Sancti non habet. Non stridebant Apostoli, sed tanquam triumphale divinæ gloriæ essedum, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt contumeliam pati, unctione nimirùm Spiritûs Sancti abundabant; *Vnctionem habetis à Spiritu Sancto* 1. Ioan. 2 v. 20.

O 2 Quam

Quam unctionem impatientes habere non poſſunt, contriſtant enim & extingvunt in ſe Spiritum Sanctum, prout memorabili documento tradidit Hermas D. Pauli diſcipulus l. 2. Paſtoralis, mandato 3. Quod ſi patiens fueris, Spiritus Sanctus qui habitat in te, mundus erit: non obſcurabitur ab aliquo nequiſſimo Spiritu, ſed gaudens dilatabitur & epulabitur in vaſa; in quo habitat & apparebit Domino hilaris in pace magna. Quodſi iracundia aliqua ſupervenerit, continuo Spiritus Sanctus, qui in te eſt, anguſtiabitur & quæret diſcedere: Suffocatur enim aſpectu nequiſſimo, & non habet locum apparendi Domino, ſicut vult: tribulatur enim ab iracundia. Ita Hermas apud Cornelium in Eccl pag. 655.

Si ergo ſapimus, ſi vitam, ſi ſalutem, ſi Spiritum Sanctũ diligimus, in fermento non ſimus ampliùs, ſed expurgemus fermentum malitiæ & nequitiæ, Paulinæ adhortationis nunquam immemores: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio ſicut eſtis azymi.* Illâ ſcilicet ſvavitate & puritate præditi, quam in regenerationis lavacro accepiſtis, cùm à fermento peccatorum omnium depurati, cœpiſtis eſſe azymum candidum, ad guſtum & delicias dulciſſimi ac patientiſſimi veſtri Redemptoris.

PHILIPPICA XIII.

In Deſides.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Matth. 20. v. 6.

§. 1. *Evangelica ſententia expenditur.*

QVot verba tot fulmina: *Quid*? quæ excuſatio, quod nequitiæ palliolum, quis fucus veſtram tegere poteſt deſidiam? An quòd nemo vos conduxerit? at conduxit vos natura horâ vitæ veſtræ primâ; nati enim

eſtis ad laborem. An labor vires excedit? Imò non niſi diurnus, brevis videlicet & levis eſt. An de mercede lis & metus? Jam numeratus eſt denarius omnibus veræ felicitatis numeris, omnibus bonorum generibus, omnibus gloriæ & opulentiæ theſauris abſolutꝰ. Dicetis fortè: Leo eſt in via, leo eſt in vinea; at hic de tribu Juda leo, arcet ſtygium illum leonem, qui circuit quærens deſides, quos devoret; cavete, nè hic vos inveniat. Quid: *hic* ſtatis? Hic in foro negotiationis loco, cui nomen ab afferendo vel auferendo, ùt docet Iſidorus. *hic* in exilio, cùm operari Adam juſſus ſit in paradiſo, *hic* in tanta hominum colluvie, ubi laqueorum plena omnia. Quid dico? *Hic* in Eccleſia, cœlo ſcilicet terreſtri, ubi nec mora, nec requies in) decantandis Deo laudibus & ferendis bonis fructibus eſſe debet. Hìc *ſtatis* ô viatiores lentuli in via, ſtadiodromi inertes in ſtadio, deſides rotæ in magno mundi horologio! *Tu ſtas, & tempus tuum ambulat,* inquit Ambroſius in pſ. *ſtatis* velut aqua ſtagnans, quæ putet, velut aër ventis non agitatus, qui peſtem aſpirat, velut equus ex nimia ſtatione inutilis ad curſum, velut horologium immotum, quod nullius eſt momenti. *ſtatis* velut trunci inutiles, & idola gentium quæ pedes habent & non ambulant, vix alijs aptiora aris, quam focis Vulcani, ſtatis *totâ die*, die tam pretioſâ, ut ejus diſpendium nullis theſauris reparari, nec divinâ omnipotentiâ revocari poſſit, cuius proinde nulla particula ſinè lucro & fœnore tranſire deberet; *Non advertit inſipiens* (Sapientiſſima admonitio eſt Bernardi ſerm. de tripl. cuſtod.) *Non advertit inſipiens, quid amittat. libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat, O donec hora prætereat! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio conditoris indulſit.* Statis totâ die *otioſi* ergo & curioſi, quia mater curioſitatis otium; ergo & flagitioſi, quia omnium ſcelerum ſentina otium; ergo & pernicioſi, quia urbium & regnorum perditio otium. Contra otium itaque conclamemus, nec erit labor hic noſter otioſus.

Otio·

§. 5. Manus otiosorum expenduntur.

Otiosos hodiernos si attentiùs observem, manus in fi- num impositas videre videor, verùm hinc lepræ periculum imminet, ùt Moyses suo expertus est damno Ex. 3. Dedit De- us homini manus in eum finem, in quem avi alas, teste Job. c. 5. *Homo nascitur ad laborem; & avis ad volatum.* Non frustra, a- jebat laboriosissim⁹ Alphonsus Rex teste Panor. l. 2. de gestis: non frustra Deus & natura Regibus dedit manus; in ò regium est laboribus, servile otio vacare inquiebat Magnus Alexan- der. Cato Censorius manus explorabat eorum, qui in Roma- nam adlegi civitatem optabant. Ità explorabuntur manus no- stræ in die iudicij. *Nunquam quis calorum civis erit, si otiositatem amaverit*, inquit Augustinus. Narrat Eusebius l. 5. c. 15 Hist. Ecclesiastic. fratres Domini accusatos tanquam ex Davidico creti sangvine novas molirentur factiones, qui ubi manus su- as callo obductas, sulcis laceras, labore induratas judicibus inspiciendas dedêre, ab omni criminum suspicione absoluti sunt, quasi non essent sangvine regio prognati, cùm ex hac ipsa demonstratione convinci potuissent veri consangvinei Christi, qui hodièque perforatas ostentat manus, & in exame- die novissimo contra omnes pigros adducet diceique: Ecce ego in laboribus à juventute mea, multa tuli, fecique pu- & vos ad undecimam usque vitæ horam, & ultimam senect- otiosi? Ego sudore vultûs panem comedi; & vos ex sudore & sangvine alieno epulas vestras instruxistis? videte manus meas, & afferte manus vestras, proh quam dispares amborum manus! & benedictionem de manibus meis præstolamini. Ite otiosi, ite malitiosi, ite maledicti, tanget vos manus mea & conculcabit vos manus mea, conculcabit vos pes meus; & quia pro denario æterno, tempore modico laborare noluis- stis, laborate indecumanis supplicijs sub flagello & jugo dæ- monis in æternùm. Marcus Aurelius Imperator ad Pollio- scribens testatur nemini civium Romæ licere in publicum prodire, nisi artis vel opificij insigne secum gestet, alioqui & pue-

S. Augustinus 16 ad fratres in eremo.

& puerorum clamoribus incessitur, ùt fatuus, & à Censore condemnatur ùt noxius, operique publico faciundo mox ad- dicitur. Manum laborantis Macarij osculatus S. Antonius: *multa*, inquiebat: *Virtus hinc egreditur.* Quis ò desides leprosam manum vestram osculatur, quis non conspuat & execretur. Arnisbergæ in Monasterio Canonicorum Præmonstratensi- um, Sacerdos quidam tempus omne, quod à consvetis exerci- tijs reliquum habebat, describendis libris impigrè impendit; viginti annis post mortem, cùm tumba ejus recluderetur, carne cæterâ in pulverem redactâ, sola dextera manus succu- lenta ac vivida est reperta, hodièque perdurat teste Cæsario l. 12. c. 47. Non perdurabunt otiosorum manus, quæ viven- tibus etiamnum putent & halant sepulchrum.

§. 5. I tem pedes,

Ex manibus ad pepes eamus, & otiosos increpari note- mus, non quod sedeant aut jaceant, sed quòd stent: *Quid hic statis?* Ad apes ad apes cum eiusmodi inertibus stationarijs, jux- ta effatum sapientissimi Salomo[redacted] septuaginta interpretum: *Vade ad apem o piger*, [redacted] *disce quomodo operaria est*, apes dicuntur quasi *sine pede*, pedes non habent, quibus otio- sæ stent, sed in pedibus alas, ut velocissimè procurrant; nul- lus apibus per otium perit dies, etiam ad lunæ lumen operan- tur, exturbantque ignavas ex alveari, imo & morte afficiunt: ad portas excubant præsidiariæ, ut prædones mellis vespas a- bigant; aliæ mellificant, aliæ vetulis inserviunt, mortuas ef- ferunt, nulla otiosa, multæ in ipso labore occumbunt, & cui laborant apes? Sic vos non vobis! ô digni aculeis apum o- mnibus homuli, qui labore vos vinci ab apibus sinitis. Ex vi- ta Medardi accepimus furem nocturnum, alvearia expilâsse, imo transtulisse, sed ab apibus circumdatus & compunctus tamdiu est, dum pedibus S. Medardi accideret & veniam o- raret. Scripserunt scilicet suis illis aculeis in frontem impu- dentissimo nebuloni textum sacrum: *Vade piger ad apem*, & di- sce operari non furari, apem non vespam agere, quin & Pli- nius

prov. 6. 8.

uius l. 11. c. 16. Observat, fures esse apibus exosos & furto sublatas apes minimè provenire.

Non melle sed felle digni, imò inediâ extremâ afficiendi, qui operari non volunt, statuente sic Apostolo 2. Thessal. 3. *Si quis non vult operari, nec manducet*: Non convescatur laboriosis deses, imò nè conviuat quidem.

Luc. 13.

Scimus ficum infructuosam, quæ triennio fructum attulerat nullum, succidi jussam, eò quòd terram frustra occuparet, ut discamus homines vitâ esse indignos, qui laborare non volunt. Draco Rex Ægypti lapidari jussit pigros. Lapides præscripsit Siracides, quod c. 22. v. 2. leges. Solon Atheniensibus pœnam mortis indixit, si quotannis non demonstrarent, quâ se alerent arte: Nimirum vitâ indigni sunt, quicunque vivunt otiosi.

§. 4. *Otij effectus definitiones.* *S. Chrysost. hom. 7. in 2. Cor.*

Otium in ferro rubiginem, in ligno cariem, in panno tineam, in domibus ruinam, in terra sterilitatem, in aqua putredinem, in [redacted]m generat, in homine quid? Hæc omnia. *Sicut terra non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producet: Sic & anima quoties non habet, quod agat rerum necessariarum, cum omnis cupiat aliquid agere, pravis actionibus semen tradit.* Ità Chrysostomus. *Sicut aqua, quæ caret decursu, ac iacet in foveis, putrescit, ac humano usui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxijs: Ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* Ità Laurentius Justinianus. *Omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina.* Ità Bernardus. non immeritò hom. 8. in hexam. S. Basilius vocat otium *Præceptorem omnium vitiorum.* Teste enim Ecclesiastico: *Multam malitiam docuit otiositas.* Per otiositatem, ait S. Augustinus serm. 16. ad Fratres in eremo, accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad mundi gloriam, per hanc tentamur ad delicatè pasci, per hanc suffocamur pretiose vestiri, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæ-

S. Laurent. Iustin. de grad. perf. c. 9.

S. Bernard ser. ad frat. de monte.

Eccl. 33. v. 29.

ba sæ-

ba sæcularia ducimur, nunquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit. Dixisse de otio videtur omnia, qui sic dixit: Otium naturæ pudor est, sentina familiæ, hostis artium, Magister ignorantiæ, pater inopiæ, curarum prodromus memoriæ situs, nox ingenij, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ, virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, dæmonum præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cœli dolor, numinis odium, hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum. Themistocles adolescens ex otio in tot turpitudines degeneravit, ut tanquam degenerem exhæreditârit pater, mater verò turpitudines filij non ferens præ doloris impatientia gulam sibi laqueo fregerit; at verò ubi in ætate virili resipuit & labori se virtutique dedit, nihil eo spectabilius, nihil illustrius. Tessera illius deinceps erat: *Otium vivi hominis sepulchrum.*

Oraculum illud non è tripode, sed Diogenis dolio verissimum prodiit: Libido est otiosorum negotium. O David! ô Salomon! ô Samson! Non potuisti inter armorum strepitus cadere ô David! non potuisti inter fabricæ curas perverti ô Salomon! non potuisti inter velitationes Philisthæorum superari ô Samson! At cum eo tempore, quo solent Reges ad Bella procedere, otiosus in aula remaneres ô David, è corde Dei excidisti; cùm otio diffiueres ô Salomon, è sinu Dei excidisti; cùm in Sinu Dalilæ otiareris ô Samson, è pupilla divini oculi excidisti, turpissimas in iniquitates, adulterium, idolomaniam, cæcitatem, ô trias infelix cecidisti. *Teneatis firmissimè* Hieronymus exclamat, *Quod omnis concupiscentiæ atque peccati mater est otiositas.*

S. Hier. de Monach. Ægyp.

§. 5. *Adamum perdidit otium, quod suo Deipara nos docet exemplo.*

Creavit Deus terram, & non dixit esse bonam, sicut bonam dixerat esse lucem; creavit idem hominem, & non pronunciavit bonum esse, sicut bona cætera pronunciârat, cur ità? An non melior homo cæteris corporeis creaturis? An quia homo de humo est, idcirco bonus dici nequit, cùm nec terra

P terra

terra bona dicta ſit; vix enim fieri poteſt, ut non bona mater bonum generet filium; & cur terra bona non vocatur? Reſpondet S. Ambroſius: quia adhuc erat inanis & vacua, vacua autem terra ſponte ſuâ inutiles & noxias germinabit herbas, adeòque bona dici non merebitur; ſic & homo bonus dici non merebitur, quamdiu de opere ejus non conſtat; quia ergo bonitas hominis ab opere pendebat, diſtulit tantiſper Deus hominis laudem, donec ex operibus dignum laude vel vituperio connotaret. Atque ut bonum potiùs quàm malum diceret, induxit eum mox à creatione in paradiſum, ut operaretur, non quidem opera moleſta, qualia noſtra ſunt, ſed quæ præciſè fugarent otioſitatem, velut malorum omnium magiſtram. Si itaque in ſtatu naturæ integræ judicavit Deus expedire homini ut otioſus non ſit, quid in hoc ſtatu lapſæ & perverſæ naturæ fiet? ſi non operemur, & ſponte ſubnaſcentia Zizania quotidiè de terra cordis noſtri eradicemus? & quid Adamum paradiſo, quid immortalitate, quid dominio ſpoliavit, quam otium? Affirmante Chryſoſtomo hom. 1. ad pop. *Deus poſuit hominem ad laborandum, artusque eius ad hoc effinxit; idcirco otioſus, ab ordine ſuo & creatione deficit.* Non præſumpſiſſet ad Evam ſerpens accedere, niſi otioſam vidiſſet. Non potuiſſet ad pomi eſum Adamus induci, ſi occupatas laboribus à Deo præſcriptis manus habuiſſet.

Evæ mutans nomen & corrigens errores Maria, panem otioſa non comedit, ideòque caput ſerpentis contrivit. Dilaudat eam Regum ſapientiſſimus ſuper omnes Græciæ Amazones, & Italiæ Heroinas, quòd operi ſemper intenta, otio fuerit inimica: *Manum ſuam miſit ad fortia.* Ad quænam fortia? Holofernem novum jugulavit? Siſaram terræ affixit? Hydræ capita exuſſit? nihil horum præſtitit, *Sed digiti eius apprehenderunt fuſum* Proverb. 31. ideòque *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Hæc mulier extra controverſiam Virgo Deipara fuit, de qua D. Bernardus ſerm. 2. ſuper miſ-

ſus. *Quam verò aliam requirebat mulierem Salomon, cùm dicebat: mulierem fortem quis inveniet?* In hac Dei Matre otij odium, amor laboris, exercitatatio aſſidua. Parca erat ad loquendum, inquit Ambroſius, ſtudioſa ad loquendum. Hæc lex illi domeſtica nunquam otiari. Illa & inconſutilem Chriſto togam, & mappam, quæ in ultima cœna fuit adhibita, hodièq; Vlyſſipone in templo S. Rochi Societatis Jesu religioſiſſime aſſervatur, pictis phrygiâ acu elegantiſſimis lilijs contexuit. Cur lilia potius, quam alios flores pinxit? quia liliorum odore ſerpentes, manuum labore dæmones effugantur. Quamdiu Florentinæ illæ Filiæ (de quibus in vita S. Antonini apud Surium 2. Maij legere eſt) manus miſerunt ad fortia & digiti apprehenderunt fuſum, ſorores fuerunt Angelorum & lilia ſponſi, dignæque cœlo charites, unde & angeli innumeri ſuper tecto domûs exultare à Sancto Archipræſule conſpecti ſunt; at poſtquam ſtipe largiori donatæ remisêre ab operibus manus, ſpinæ fuêre & ludus dæmonum, dequè Proſerpinæ gynecæo furiæ avernales. Quod nè & filiabus ſuis aliquando accideret, præcavens prudentiſſimus Imperator Carolus Magnus, ad colum & fuſum eaſden addixit; inſcripſitq; colo aureas haſce litteras: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde;* ut videlicet Iesu & Mariæ exemplo, manum mittere ad fortia non dedignarentur. Filios vero ſuos omnes arte quâpiam mechanicâ erudiri fecit (quæ & hodie laudatiſſima Auſtriacorum Archiducum eſt conſvetudo) ut otium quam longiſſimè à ſe repellerent, & non inperio tantùm, ſed & empyrio dignos ſe exhiberent. Imperatoria fuit illa Caij Marij vox apud Saluſtium: *Nemo ignaviâ immortalis factus eſt.* Quis unquam otioſus, inquit egregiè Valerianus Epiſcopus hom. 2. quis unquam otioſus trophæa compoſuit? *Non otioſis aut dormientibus provenit regnum cœlorum*, inquit. S. Proſper, *Nec otio torpentibus æterna beatitudo ingeritur.* Septimus Severus Imperator pro militari teſſera tribunum dare juſſit: *Laboremus.* Pertinax verò

S. Proſp. l. de cont mundi.

Imperator: *Militemus.* Labore & certamine opus eſt, ut, quod vim patitur, regnum cœlorum mereamus, cujus Imperator IESVS Chriſtus, etſi omne criminum genus ſibi innocenti obijci paſſus ſit, otij tamen argui nequaquam potuit, ut vel inde inculpata eius emineret vita, quæ otij eſſet inimica, ſicut enim omnium ibi ſentina vitiorum, ubi otium; ità omnium ibi ſeminarium virturum, ubi labor.

S. Bernard de modo benevi. vent. c. 51.

Regnum Dei non dabitur otioſis, monet D. Bernardus, *ſed in ſervitio Dei ſtudioſis, non dabitur vagantibus, ſed pio ſervitio Dei digne laborantibus.* Mercenarij ſumus: mercenarius, ait S. Chryſoſtomus, non ad manducandum conducitur, ſed ut opus Domini ſui faciat. Quo autem die opus non fecerit, erubeſcit panem petere.

§. 6. Otio delectatur dæmon.

Ab otio dehortatus Epheſios Paulus ita ſcripſit c. 4. v. 17. *Nolite locum dare diabolo, qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt.* Quibus verbis explicat Apoſtolus, quid ſit locum negare malo, operari videlicet manibus, quod bonum & beatum eſt. Opifices laudans Propheta regius: *Labores*, inquit *manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Beatus ut eſſet Paulus ſcenopegicam exercuit; nec ullus Apoſtolorum fuit, qui labori alicui non aſſvêſſet. *Nemo erubeſcat ex his*, inquit in laudem opificum Chryſoſtomus hom. 5. in 1. Cor. *Qui ſunt artifices, ſed hi qui nihil agentes aluntur, & ſunt otioſi: perpetuum enim opus facientem inde aligenus eſt philoſophiæ: Eorum ſunt animæ puriores, eorum mentes robuſtiores ac firmiores, nam qui eſt otioſus, multa temerè loquitur & multa agit;* & locum capaciſſimum diabolo præbet. Vt etiam aves non nidificant in rotis molarum, nec reſident illic, niſi rotæ deſides ſint; ſic dæmon non niſi in otioſo requieſcit. Otium diaboli pulvinar. Rectè præceptum olim fuit: facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum. Antiqua enim priſcis aſcetis fuit parœmia: Qui laborat ab uno dæmone, otioſus ab innumeris

meris infeſtatur. ubi ſtertentem, nugantem, otioque ſolutum te viderint maleficæ illæ mentes, ſubitò advolabunt ùt corvi ad patibularium, ùt muſcæ ad victimam, harpyiæ ad menſam, vultures ad cadaver, ùt nocturnæ ſtryges ad infandam choream. Quare út primùm nocturni iſti lemures te infeſtârint, fac illicò operis aliquid & fugabis. Energumenum producunt Evangeliſtæ Matthæus & Lucas c. 8. Marc. c. 5. Non ab uno duntaxat dæmone ſed legione integra obſeſſum; cur tot infeſtis hoſtibus miſer homuncio ceſſerit in prædam, cauſam eſſe ſuſpicor, quia otioſi typum expreſſit, habitâſſe enim dicitur in ſepulchris, otium verò quid eſt? *Vivi hominis ſepulchrum.* Prope à ſepulchro, à dæmonum jugo, ab inferno abſunt, qui otio contabeſcunt; nec uni dæmoni, ſed integræ mancipantur legioni, qui manus non impendunt labori. Parùm dixit Hugo Cardinalis in c. 12. Matth. *Nolite ſtare otioſi, quia ad domum vacantem unde exivit, diabolus revertitur, & habitat cum ſeptem ſpiritibus nequioribus, & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus.* Parùm inquam dixit, dum ſeptenos duntaxat dæmones aſſignavit, legionem dicere debuerat, niſi fortè per ſeptenarium numerum phraſi Gregorianâ totam dæmonum intelligat univerſitatem. Maximis in inferno certè miſerrimi dæmones mactantur tormentis, ex quib9, ut non nihil reſpirent, otioſos in foro homines quærunt; hi enim gratiſſimam infernalibus hoſtibus quietem & hoſpitium indulgent. Otium hominum, quies dæmonum.

§. 7. Affectiva.

Auditis hæc otioſi in foro, otioſi in templo, otioſi in officina, otioſi totâ die, totis annis, vitâ totâ; & ſtatis adhuc nec in vineam Domini accurritis & laboribus manus admovetis? heu leproſas manus, heu idola inſenſata, inutiles truncos, niſi inextingvibili aptos gehennæ! quin extemplò immortale otio odium & bellum indicite & in expanſa IESU Crucifixi brachia manus veſtras injicite ac ſtipulate: Laborabimus, militabimuss, ſudabimus uſque ad agoniam & ſanguinem

gvinem, ut tuis digni stipendijs ac denario, de labore ad re-
quiem, de bello in pacem, de vinea in cœlestem Jerusalem
& immensam illam Magni Patrisfamilias domum jucùndi
& beati aliquandò transeamus.

PHILIPPICA XIV.

In falsos Amicos.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Tempore tentationis recedunt Luc. 8. v. 13.

§. 1. Per Dei Verbum reddimur Amici Dei.

VErbum Dei avidè auditum fideliterque retentum facit hominem Dei amicum, & quidem tam arctæ ne-cessitudinis, quanta potest esse inter parentem ac fi-lium. Elatâ voce nescio quæ mulier beatum prædi-cabat ventrem, à quo Christus gestatus esset; at vicissim be-atum pronunciat Christus verbi sui auditorem, quasi is Ma-tris habendus sit locò, qui verbum DEI accipit, atque exem-plo Intemeratæ Virginis in corde suo custodit: *Quin imò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud* Luc. 11. v. 28. Qu-

Ildeph. c. 8. de V. M. Justin. de cast. connub. c. 9. Bernard. tom 2. ser. 52. Is. 66. v. 7.

dicat, juxta explanationem D. Ildephonsi, Laurentij Justi-ani, & Bernardini Senensis, magis mihi cognata MARIA pro-pter auditum DEI verbum, quàm propter me suo gestatum in utero; hinc ænigmate plena Isaiæ vox: *Antequam parturiret peperit.* Antequàm concepit Deum in utero, jam illum con-cepit in animo, quia verbum ab Archangelo prædicatum ac-ceptavit, credidit, implevit. Cùm aliâ vice sub id tempo-ris quo Christus prædicabat, eidem nunciaretur Matrem fo-

stare

stare audiendi verbi avidam, memorabili dicto IESUS defini-vit (prout Matthæus c. 12. v. 26. Consignavit) illum Chri-sto pro Matre & fratre & sorore esse, qui voluntatem æterni Patris expleverit; voluntas verò Patris in quo consistat, de-claravit ipsemet voce cælitùs emissâ in Thaborea transfigu-ratione: *Hic est Flius meus dilectus, ipsum audite.* Ecce claram DEI voluntatem, ut ejus verbum audiatur eaque ratione in consangvinitatem cum Christo transeatur. Qua de causa e-mancipatos Apostolos Christus declaravit esse amicos suos: *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus eius. vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis* Joann. 15. v. 15. En causam cur amici dicantur, quia verbum DEI acceperunt. Sed quæ humana est calami-tas, amicitiam hanc pauci conservant, quia verbum non re-tinent, nec opere implent, sed tempore tentationis recedunt, amicitiamque fœdifragè dissolvunt, non cum Deo tantùm, sed etiam cum hominibus; rari enim admodum sunt, qui in tentationibus perdurent, & inviolatam servent amicitiam. Contra falsos itaquè hoc amicos, quibus nec Dei nec homi-nis verbum & amicitia cordi est, præsenti dictione invehar, quàmque dulci hoc nomine indigni sint, docebo.

§. 2. Amicitiæ encomia.

Hebræorum proverbium est: *Aut societas aut mors.* vita sinè amicitia non est vita, sed mors. Amicus magis necessa-rius est, quam ignis & aqua, inquit Cicero l. 3. offic. c. ult. Sal vitæ est amicitia, oculus vitæ est sapientia, antidotum vitæ est patientia. *Est revera amicus ipsa luce iucundior. Solem hunc extingui iucundius, quàm amicorum consvetudine privari. Multi solem istum videntes in tenebris sunt, qui vero amicorum copiam adepti sunt nec in afflictionibus quidem tristitiam habent* Itá Chrysostomus hom. 2. in 1. Thessal. cui affine est illud Ciceronis: *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* l. de amicit. Tria synceræ amicitiæ cõmoda insinuat Syracides: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illũ, invenit thesaurum.* Ecclesiast. 6. v. 4. Pri-

v.4. Primum amicitiæ commodum eſt, quod ſe invicèm protegant conſilio & auxilio, vitam, animam, conſcientiam à præſenti & æterna morte tuantur feliciùs, quàm Niſus & Eurialus, Pylades & Oreſtes, Damon & Pyſhias, de quibus Virgilius l. 9. & D. Ambroſius l. 2. de Virg. Sic Abraham oſtendit ſe amicum Loth, dum eum ex hoſtium manibus cum vitæ propriæ periculo liberavit Gen. 14. Chuſai erga Davidem cùm Achitophelis conſilia, apud Abſolonem diſcuſſit 2. Reg. 17. Jonathas erga Davidem cuius vitam capitis ſui objectu ſervavit 1. Reg. 2. Tales amici erant. S. Baſilius & Gregorius Nazianzenus prout ſcribit Theologus orat. 20. in Baſilium: *Nec nobiſcum gentiles, Oreſtes ſuos & Pylades ullo modo conferendos putabunt, nec Molionidas illos Homereo verſu celebratos, quos calamitatis ſocietas atque ars egregia aurigandi nobilitavit, eodem tempore frena & verbera inter ſe patientes,*

Alterum commodum eſt quòd theſaurus ſit. Cyri Regis dictum eſt: optimè apud amicos deponuntur pecuniæ. & Alexander interrogatus ubi ejus eſſent theſauri? *in amicis* reſpondit, ùt habet Maximus ſerm. de amicit. *Cùm ſunt amici eſſe tibi theſauros puta.* Potior eſt amicus in platea, quam theſaurus in ciſta inquiunt proverbialiter Hebræi. Nec theſaurus ſolùm ſed medicamentum vera præſtat amicitia: *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis* Eccl. 6. v. 16. Vita enim noſtra perpetua quædam infirmitas eſt, at iuxta Comici effatum: quod medicus eſt ægro corpori, hoc amicus eſt mentis ægritudini. Nam Verba amica ſunt medela commoda. *Lingva* enim *placabilis*, ùt Salomon loquitur prov. 15. v. 4. *lignum vitæ*, vel ùt Hebræi ac Chaldæi legunt: *Medicina linguæ arbor vitæ.* Prolongant amici vitam conſulendo conſolandoque, & innumeros humanæ vitæ mœrores, angores, timores ſubmovendo. Expertus amicitiæ fructum Auguſtinus l. 4. confeſſ c. 6. Ita confitetur: Bene dixit quidam de amico ſuo: Dimidium animæ meæ. Nam ego ſenſi animam meam & animam illius (amici demortui) unam fuiſſe animam in duobus corporibus; & ideo horrori mihi erat vita, quia nolebam dimidius vivere: Ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quē multũ amaverã. Eleganter hæc Auguſtin9, Auguſtino elegantiùs Chryſoſtom9 hom. 2. in epiſt. Theſ. revera vitæ pharmacũ eſt fidus amicus; revera protectio fortis eſt fidus amicus. quantã utilitatē quantã ſecuritatē generat! ſi mille theſauros dixeris, nihil tamen germano correſpondebunt amico. Cum amico paupertas tolerabilis eſt. Sine illo & ſanitas & divitiæ intolerabiles ſunt. Alium pro ſeipſo habet. Hactenus orator aureus. Oratori aureo Melleus conſonat Ambroſius: Solatium hujus vitæ eſt, ut habeas cui pectus tuum aperias, ut colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur, in perſecutionibus adhortetur. Facilis vox & cõmunis: Tuus ſum totus, ſed paucior is, eſt effectus; ità Mediolanenſis Præſul. l. 3. off. c. 16. Non invenio in omnibus Codicis divini paginis ultra quinque amicorum paria, qui in tentationibus fideliter ſibi occurriſſent: Abraham & Loth Gen. 14. David & Jonathas 1. *Reg. 18.* Ruben & Joſeph. *Gen* 29 Jehu & Jonadab. 2. *Reg. 10.* Achab & Joſaphat 4. *Reg. 22.*

Tam rara hodièque in mundo eſt amicitia, ut optari potiùs deberet quàm ſperari, quæri faciliús poſſit quàm reperiri. *Nunc rara fides*, ait S. Hieronymus in C. 7. Michææ cùm aliud in labijs aliud in corde verſatur, venenum animæ lingvæ mella tegunt. Amicus diu quæritur, vix invenitur, difficilè ſervatur. Nolite credere in amicis, qui de amicitijs ſectantur lucra. Monet proinde Hieronymus: ſi vis verâ amicitiâ delectari, eſto amicus Dei, ſicut Moyſes, qui loquebatur Deo quaſi amicus ad amicum. Ante Hieronymum eandem næniam ſcripſit Cicero in ſuo Lælio: plerique in rebus humanis bonum non nôrunt, niſi quod fructuoſum ſit, & amicos tanquam pecudes, eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. At hæc non eſt ami-

citia sed nequitia, contra quam exclamat Siracides c. 37. v. 3. *O præsumptio nequissima unde creata es.* Sive ùt in græco est. ô scelerata cogitatio, unde devoluta es ô execranda perfidia! ô cogitatio mortalium nequissima, unde in orbem irrepsisti? O simulata, inquit Hugo apud Cornelium, & palliata hypocrisis, quæ fingis amicitiam, ubi non est, unde tandem prodiisti? quomodo terram malitiâ & dolis tuis operire valuisti? Scilicet nec ex cœlo neque terra ortum habes; Deus enim creavit naturam humanam rectam, synceram, fidelem, sed ex orco in terras prorepsisti. Pater tuus est, qui inter Dei imagines ab ipsa mundi origine suscitare fictas amicitias cæpit; cùm fecit, ut Cain Abelem fratrem occideret, & quotidie suscitare non desistit ubivis locorum & gentium: hoc enim perfidiæ malum (verba Cornelij) omnes urbes, omnia fora, tribunalia, omnes cœtus, omnia collegia, quin & Sanctorum congregationes ac monasteria non rarò invadit, occupat & evertit. Hujus porro perfidiæ origo & author dæmon est extrinsecus, intrinsecus amor proprius, quo incitante non ámamus amicum amico, sed amicum nobis, nec tam personam, quàm res amici concupiscimus, verè ollares & vitrei amici nuncupandi, imò scelerati & pessimi; nam *Malus ubi se simulat bonum* ait Beda in proverb. *1. ibi est pessimus, scorpiones dici possunt.*

§. 4. *Amicus ex fructibus agnoscendus.*

Prudentissimè incarnata monuit Sapientia: *Attendite à falsis* Matth. 7. *Cavete ab hominibus* Matth. 10. Signum autem distinctionis peti jubet à fructibus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* In quæ verba D. Petrus Chrysologus serm. 97. flores multitudinem fructuum pollicentur; sed examinati ventorum flabris ad fructum paucissimi perseverant. Ità amici huius sæculi in serenitate flores sunt, in tempestate nihil. Cortici malogranati comparat sponsus amicam suam Cant. 4. v. 3. *Sicut fragmen mali punici ità genæ tuæ.* Per genas homo agnoscitur, per constantiam in adversis syncerus amicus probatur. Si verus amicus est, oculorum geret munus, prout D. Cyprianus l. de sing.

de sing. Cleric. disputat, non potest aliquo flecti unus oculus, quin flectatur & alter, si rectè vel oblique hic aspicit, ille eodem modo aut ex obliquo aut recta aspiciet. Non aliter veri amici eodem semper modo, eâdem viâ ad eundem unanimes scopum feruntur.

§. 5. *In necessitate explorãdus.*

Quærunt interpretes, cur Salvator, cùm in triennali conversatione sua, tum potissimùm ante suam passionem apud Martham & Magdalenam potiûs hospitari quàm alibi volverit? & respondent in gratiam & solatium geminarum sororum, id potissimum esse factum, ut constaret veras illas esse amicas, quæ necessitatis tempore favent & fovent. Fugiens David Soceri sui Saulis furias ex urbe Gabaa, ubi à Jonatha instructionem super protoregis indurata malitia acceperat, ad Abimelech in Nobe venit panes & gladium petiturus 1. Reg. 21. à. v. 1. Cur non ad urbem aliquam intermediam divertit, erant enim, ùt loquitur Abulensis q. I. Loca aliqua media inter urbem Gabaa, de qua recedebat David & inter urbem Nobe ad quam nunc ivit. Cur ergo in itinere ad nobilem aliquem aut consangvineum non divertit? ostenderat olim Abimelech se perquam familiarem Davidi, postquam hic à victoria adversùs Goliathum obtenta gratias Domino exercituum egit, & hostilem gladium in tabernaculo obtulit, ùt docent Rabbini. Exploraturus itaque necessitatis tempore amici sui genium prudens David, Nobe petiît & à sacerdote panem gladiùmque postulavit. Abulensis verba sunt q. 3. *David voluit magis declinare ad Abimelech, quàm ad aliquem alium, quia cognoscebat eum, & aliàs erat amicus illius, ideo credidit, quòd ille magis posset & vellet eius necessitati providere.* Sic Evangelicus ille amicus, cum intempestivâ nocte hospitem accepisset, non à vicino non à consanguineo, sed tantùm ab amico, quem credebat esse fidissimum, tres petiît panes: *Amice commoda mihi tres panes* Luc. 11. v. 5. Quia nullâ aliâ tempestate feliciùs amici erga se animum explora-

explorare potuit. At redeamus ad Abimelech. Vidit is Da-
videm ducum frequentiâ, militum turbâ destitutum, ideo-
que admiratione plenus quæsivit: *Quare tu solus & nullus est*
tecum? etátne solus David? imò videtur pueros plures post
terga traxisse: cur enim alias ipsemet Sacerdos quæsivisset:
Si mundi sunt pueri? Quomodo ergo solus si militibus cin-
ctus? nimirum de amicis sermo erat, hi autem pueri non
poterant amicorum haberi in censu, convenerant enim ad
Davidem, qui erant oppressi ære alieno, ut capite se-
quenti v. 2. insinuatur: non nisi ollares & vitrei amici,
adeóque nulli amici; fuisset enim in periculis certissimò ab
ijsdem deserendus, quemadmodum fassus ipsemet est ps.
24. v. 16. *quia unicus & pauper sum ego.* Mel muscæ, cada-
vera lupi, prædam turba sequitur non hominem, inquit Ro-
manus philosophus.

§. 9. *Vera amicitia adversis probatur.*

Digna auro est ista Siracidis sententia c. 6 v. 7. *Si pos-*
sides amicum, in tentatione posside eum. nemo fidat amico suo
nisi periculum priùs fecerit, quì se calamitatis tempore ge-
rat, nam ùt ait Ennius: *Amicus certus in re certa cernitur* & v.
Beda in alphabeto proverbiorum: *amicum res secundæ parant,*
adversæ probant. inspicimus vasa priùs, quàm emamus, cur
non & amici vitam, inquit Antisthenes apud Laërtium l.
2. c. 8. *selige tum dilige.* Selectionis tempus est adversitas.
Aurum probari solet igne & lapide lydio, amicus verò ca-
lamitate; qui adulatur tempore prospero, deserit adverso;
temporis est amicus non amici, ùt dicebat Menander. A-
micum auro est argentum vivum, libentèrque illi adhæret,
atsi unà disponatur in ignem mox diffluit atque disparet, ità
omnes falsi amici. S. Augustinus l. de amicit. c. 3. disti-
chon recitat memorabile.

Non est personæ, sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, amara fugat.

Varijs similitudinibus falsos expingunt amicos eruditi,
alij melo-

alij melopepones, alij hirundines, alij vultures appellant,
alij alijs in symbolis efferunt, ut doceant cavendos. Notus
est poëtæ recentis anacreon:

§. 7. *Variæ falsorum amicorum similitudines.*

Malogranatum cum Philippo Rege Catholico mallem
eidèmque simili voto inscriberem: *tot Zopyros!*

Melopepones amici
Nunc temporis videntur;
Sunt plurimi probandi,
Ut unus approbetur.

tot fidos voveo amicos, quot hoc pomum, concordiæ
symbolum, grana vovet. At plura passim mala punica,
quàm Zopyros invenias, & plures in amicis simulatis puni-
cas fraudes, quàm punica in orbe mala. fides ità occupa-
vit & aulas & curias, & quas non communitates, ut in
malum punicum orbis totus abîisse videatur, & hinc tot
passim mala! Qui hirundinibus falsos amicos còmparant,
illud Authoris ad Herennium l. 4. repetunt: ùt hirundi-
nes æstivo tempore præsto sunt, simul atque fortunæ hye-
mem viderint, devolant omnes. Arborem vidit Babylo- *Dan. 4.*
nius Rex avibus plenam at cum fatalis vox insonuisset: *suc-*
cidite! avolârunt ocyus omnes vivàmque falsorum amico-
rum expressêre imaginem. Non hirundinibus sed vulturi-
bus falsos amicos comparat Romanus philosophus: vultu- *Senec. lib. de amicit.*
res revera sunt, cadaver expectant, quanquam nec semper
cadaver expectent. Volsæum Anglum describit Florimun-
dus Remundus ità ab amicis in fatali morbo destitutum, ut
& lectulum moribundo subtraxerint. Pejores vulturibus
sunt, nec cadaver expectant. Ad sepulchrum efferebatur Frã-
ciscus Cotinius Comes de Redondo Indiæ Prorex ingenti
sexûs utriusque comitatu ac pompâ. Antequam autem in
sepulchrum demitteretur cadaver, successor defuncti renun-
tiatur Joannes Mendosa, funeris comes, & ecce protinus o-
mnes deserto Cotinio ad Mendòsam convertuntur, gra-

tulantur, arrident, applaudunt, inque urbem cum jubilo deducunt, vix unico mancipio relicto, á quo cadaver humaretur. ô vultures, imò vulturibus pejores amici, apud quos luctus tamdiu locum non habet, dum cadaver in loculum deponatur. In malam crucem cum ejusmodi vulturibus, in æternam hyemem cum hisce hirundinibus, in fimetum loci cum pessimis melopeponibus.

Iobi dum memini, alia similitudo ex ejusdem miraculis occurrit, ità enim habet c. 6. v. 15. *fratres mei præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus*. Liquida fuit illa non solida amicitia, quæ tam citò diffluxit. turgent torrentes in hyeme, in æstate verò cùm viatori prodesse potissimùm deberent, exarescunt; ità & amici cùm auxilio & consilio eorum unicè opus foret, raptim transeunt & evanescunt. qui de simili torrente in via bibet, exaltabit cum gemitu & suspirio caput.

Alphonsus Rex fragilitatem humanæ amicitiæ adscribebat vitro, calamo, pileo. vitrea multorum amicitia est, quia apud vitra coalescit, & ideò citò frangitur. Theognidem græcum philosophum D. Gregorius Theologus recitat ità canentem: D. Gregorius Epist. 160.

Ad calices multi se contestantur amicos,
Sublato vino nullus amicus erit.

aliorum amicitia in officiosis litterulis & levi calamo consistit, sed vel ideo facilè á vento rapitur & in auras avolat, quia papyro & pennis constat. alij denique fucatissimis verborum formulis, *complementa* vocant, in fictisimis obsequiorum delationibus, profundissimis totius corporis inclinationibus, pilei ad usque pavimentum demissione amicitias suas statuunt, verùm & hæc amicitia mobilior pileo, verbalis & scenica est, nec amicitiæ nomine digna, fallitur quisquis infra lunam & in homine amicum stabilem invenire sese posse existimat, qui nunquam in eodem statu

statu permanet. quod ante mille annos cantabatur, post mille annos veritate semper integrâ de falsissimis hujus vitæ amicis repeti poterit.

Annis mille iam peractis,
Fides nulla est in pactis;
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

Si sapimus, recedamus ab hiscè amicis, priusquàm illi recedant; deseramus nè deseramur; nè præveniamur præveniamus. finiat Augustinus sapientissimè sic monens: quid prodest hominis amicitia? fortè ibi non solùm nullum auxilium sed & periculum. ô anima mea dilige eum à quo tantum dilecta es. elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. Nihil delectabilius Deo, non est Deus qui te offendat, nihil eo pulchrius, nihil dulcius. Amicus Dei, si volvero, ecce jam fio. S. August. in ps. 121. & manual. c. 24.

PHILIPPICA XV.

In Gulones.

DOMINI: QVINQVAGESIMÆ

Tradetur Gentibus. Luc: 18. v. 32.

§. I. Christiani hoc triduo veterem Deum mutant in Ventrem.

QVerelam DEI per Ieremiam Israëli propositam repetere cogor hodie, & DEI mei nomine expostulare cum plerisq; christianis: *transite ad Insulas Cethim & videte; & in Cedar* (regionem Arabiæ á secundo Israëlis filio itá nuncupatam) *mittite; considerate vehementer & videte, si factum est huiuscemodi*, quale illud facin' est,

est, quod tantâ verborum pompâ & gentilium contestatione proponitur? an nefanda luxuria, qualis nec inter gentes, non Sodomæ non Gomorrhæ? an nova cœna apposita, quæ longè superet Thiesteam, cùm frater fratri filios eius proprios apposuit epulandos? an Noëmitica redière tempora, in quorum piationem novo opus sit cataclismo? audiamus quid queratur DEVS. *Videte si factum est huiuscemodi: si mutavit gens DEOS suos & certè ipsi non sunt Dij, populus verò meus mutavit gloriam in idolum.* hoc hoc est, quod tantopere Deum exacerbat, idolum novum, cui immolatur hodie á populo Christiano, in contemptũ & despectũ DEI vivi & veri, qui mortifero & mendacissimo deastro non modo posthabetur, sed in illius gratiam defertur penitus & abnegatur. non est hæc impietas in Cethim & Cedar apud occidentales & orientales nationes, ut, quos semel assumpsêre DEOS, prostituant, sed continuum ijsdem deferunt homagium; Christianorum pæne solorum hæc est perversitas, ut spreto DEO vetere, quem anno toto sat probè coluerunt, per triduum Bacchanalisticum, ventrem in Deum deligant eidemque per dies hosce ter infaustissimos non sanitatem modò & vitam, sed salutem & animam immolent: *quorum Deus venter est. & gloria in confusione ipsorum.* Contra quos idolomanicos gulones & fœdissima abdominis mancipia agam præsenti dictione, ut si fortasse idolo suo nondum litavêre, cùm sit hora diei tertia, vesana tempori damnent consilia, nec tradant gentibus Deum suum ad illudendum juxta Evangelicam illam querimoniam: *tradetur enim gentibus.*

Philip. 3. v. 19.

§. 2. Frugalitatẽ suo Deus docet exemplo.

Vt suo quodammodo exemplo Divinitas ad execrandæ gulæ odium nos animaret, habitare inter homines statuit, præcepitque Moysi: *facient mihi sanctuarium & habitabo in medio eorum* Exod. 25. v. 4. nec habitare duntaxat, sed & convesci dignatus est: *hoc est, quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum manè & alium vespere*

Exod. 29. v. 38. cùm ad civilem conversationem convictus perutilis imò necessarius sit, mensam domi suæ instrui vult DEVS, quasi pransurus & cœnaturus nobiscum ad frugalitatem exemplo suo nobis tradendam, ità verba prædicta doctissimus Oleaster explicat: *audis hic summi Dei dignationem volentis apud nos prandere & cœnare, veluti unus ex nobis. similiter perpaucis contentari cibariis in prandio & cœna.* Non jubet apponi sibi sicut postea Vitellius septem millia avium, duo millia piscium; nec convivium apparari jubet, quale solebat esse Getæ Imperatoris, ubi tot missus, quot litteræ in alphabeto, & tot in quovis missu fercula, quot sub illa littera aves vel pisces numerantur. v. g. A. Anser, Anas, Atagen, Aper, Artocrea. &c. nec quale Ptolomæus Rex Ægypti mille convivis apposuit, millies mutatis ferculis & vasis aureis. nec quale Carolus V. Madriti Francisco J. Regi Galliarum apparavit in triplici missu, in quorum primo visebantur centum lances argenteæ solis cerebellis avium refertæ, in secundo totidem lances, in tertio totidem porcellanæ, omnes omnium cerebellis avium instructæ. paucis contentus author naturæ & unius generis edulium apponi sibi voluit, ut dedoceret superflua tanquam noxia, observat idipsum hebræorum doctissimus Philo. lib. de victim. sic ferme scribens: admonet nos ad temperantiam Deus, pauco enim alimento contentus esse potest sectator sapientiæ habiturus sanum corpus & mentem sobriam. *Initium hominis,* inquit Siracides, *aqua & panis,* quamdiu in mundo frugalitas, tamdiu regnavit & longævitas. pane & aqua primi homines victitârunt, partim ex naturæ instinctu, ùt vult Cornelius partim pœnitentiæ ductu, memores, quòd unius pomi esu paradisum, immortalitatem, innocentiam prodegissent. *Initium hominis aqua & panis,* vel ùt Tigurina vertit: *summa vitæ humana est aqua cibus.* hoc est, interprete Lessio, cibus utì maximè obvius & facilis, ità & maximè salubris ac con-

Eccl. 28. v. 28.

Cornelius in Eccl. pag. 631.

Lessius. l. de diata.

naturalis est panis aquâ decoctus, vulgò dictus *panatella*. Initium vitæ hominis sive principatus humanæ vitæ, ùt ex græco verti potest, aqua est panis, quia sicut spiritualis animæ vita, est aqua baptismi & panis Eucharistiæ, ità & corporis salus ac commoditas est aquæ usus & panis esus, quòd fusè videre est apud Cornelium.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri, exemplo & verbo nos erudiit, ut sobriè & piè viventes, non in commessationibus & ebrietatibus, sed in jejuniis multis, frugalitate verò plurimâ regnum DEI, quod non est esca & potus, solerter operaremur. In infantia *lacte modico pastus est*, in ætate matûra jejunio dierum quadraginta exercitus est, sub vitæ coronidem felle & aceto potatus est, ut nostræ vitia gulæ lucraretur & charam Deo hominibusque sobrietatem persvaderet. Putavit versutissimus adversarius tentari famelicum Iesum in deserto posse, sicut sobrius in paradiso Adamus tentatus & victus est, ideòque ad lydium lapidem probaturus Salvatoris virtutem, lapides obtulit, quos in panes pellendæ fami converteret: at lapidatus est in verbis suis inimicus, & divini verbi calculo: *scriptum est: non in solo pane vivit homo*, tanquam canis lapide abjectus. Observat autem perquam ingeniosè Theophylactus dæmonem suis se lapidibus confecisse, dum lapides non lapidem obtulit, & panes non panem fieri voluit, quasi panis unus sustentandæ hominis vitæ non sufficeret: *non dixit: ut lapis hic panis fiat, sed lapides, volens Christum ad superflua instigare; esurienti enim unus panis sufficit, & propter hoc Christus eum non audivit.* Nunquam IESUS in sanctas ac venerabiles manus suas accepisse panes, sed *panem* in sacro Codice legitur, ut superfluitatem damnaret, frugalitatèmque traderet, qui orare docuit: *panem nostrum quotidianum*, non *panes* da nobis hodie, & solicitudinem ciborum nimiam damnavit: *nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus* Matth. 6. v. 31. comedere & bibere

Theophy: apud Nissen Dom. 16. post Pentecost. s. 2.

non pro

non prohibuit, inquit Theophylactus hìc, dicere autem quid comedemus? prohibuit, sicut dicunt divites epulones vesperi: quid comedemus manè. *Cibum debes carunculæ tuæ*, inquit D. Gregorius Nyssenus orat. Dominic. *tum & modicum & paratu facilem, si usum & necessitatem intueris. cur adversùs temetipsum multiplicas tributa?* cur ventri te ipsum mancipas, & in turpissimam ultrò demittis servitutem factus ventris famulus attonitus, ùt Climacus loquitur, attonitus inquam famulus, quia inexplebilis sui heri voluntatem stupere potiùs, quàm explere potest.

S. Ioann. Climac. gra: 18.

Intolerabilis enim tyrannus est venter, qui ut scribit Seneca ep. 21. *præcepta non audit, poscit, appellat*, dicat quidquid vult lex divina, dicat quidquid vult ratio, conscientia, experientia, venter præcepta non audit, sed nova novàque mancipio suo vernæ & exigit tributa. Emphaticè de gulositate humana scripsit Tertullianus: *onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores & querela apud nos omnes, dum jam nos natura non sustinet.* quidquid delicatiorum volucrum in aëre, ferarum in nemore; piscium in æquore, servire gulæ nostræ cogitur, nec adhuc sufficit. *una sylva elephantibus pluribus sufficit*, ait Seneca, homo & terrâ pascitur & mari & aëre, & adhuc pastum sibi deesse querulatur. *Venter helluo est poscendo finem nunquam faciens*, inquit Basilius Magnus, ideòque gulones damnatis comparat, quasi jam circumferant in ventre infernum: *gulones non leviores pœnas pendunt, quàm ii, qui in inferno excruciantur, ùt, qui apertè ignem verberent, ac cribro aquam ferant, atque in pertusum dolium infundant, nec laborum ullum finem faciant.* Exactorem improbum vocat ventrem Bernardus ep. 46. miratúrque: cùm voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtineat latitudinem digitorum, tam modicæ partis tam exigua delectatione quantâ paratur solicitudine, quantam deinde molestiam parit.

S. 3. Gula insatiabilis.

Tertull. l. de anima.

Senec. ep 60.

S. Basilius hom. 1. de jejun.

Diogenis celeberrima vox est: *Venter vitæ charybdis*. non

84. *Duodecim exempla biblica cladium à gula illatarũ*

tot charybdis absorbuit, quot gula. reddit quod absorbuit charybdis non gula. Gula Adamum paradiso expulit, gratia originali exuit, immortalitate spoliavit. gula mundum cataclismo mersit; primaria enim causa diluvij adscribitur voracitati: *in diebus Noe erant comedentes & bibentes* Matth. 24. v. 38. gula Sodomam incineravit: *hec erat iniquitas Sodomæ, saturitas panis* Ezech. 16. v. 49. Gula populum Israëlis viginti tribus millibus capitum diminuit, postquam videlicet *sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere* Exod. 32. v. 6. *occideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum* ibid. v. 28. gula eosdem Israëlitas indeserto vastavit, funeravitque: *vocatùsque est ille locus sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat carnes* Num. 11. v. 34. primus populus primi hominis insculpserat crimen, inquit Tertullianus, pronior ventri, quàm Deo deprehensus; cùm de duritia ægypticæ servitutis validâ manu Dei ereptus, terræ melle & lacte mananti destinatus, statim saturitatis ægyptiæ detrimenta suspirans, allium potiùs & cœpas, quàm cælum fragrare malebat. Hactenus ille l. de jejun. c. 4. gula denique tertium innumeros ex eodem populo in cultu Beelphegor repentinâ morte mulctavit num. 25. v. 5. ter misera certè epulantium judæorum bacchanalia! Gula gladio Iambri interficiendum Ela objecit 3. Reg. 16. v. 9. gula Holoferni caput abscidit manu Iudithæ, quam castimoniæ naufragium certissimo facturam fuisse docet Ambrosius, si gulæ indulsisset. gula Balthasarem regno & vitâ spoliavit Dan. 5. v. 25 ubi filij Job vi periêre? in convivio: *filijs & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti repente ventus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit liberos tuos & mortui sunt* Iob. 1. V 18. ubi Ammon primogenitus Davidis interiit? in convivio fratris sui Absolon, 2. Reg. 13. ubi Philisthæi gravissimâ strage. deleti sunt? in convivio! *multóque plures interfecit moriens* (Samson) *quàm antè vivus occiderat* Jud. 16. v. 30. quod diverso quidem sensu, pari tamẽ veritate de epulantibus & ventri suo immolantibus repeti potest, plures videlicet ab animalibus occidi mortuis, puta perdicibus, phasianis, turdis &c. quàm unquam in sylvis aut Romanis theatris á veris viventibus sint interempti; Vbi Simon Machabæus cum filijs suis cecidit? in convivio proh dolor! in convivio proh pudor! *cùm inebriatus esset Simon & filij eius, surrexit Ptolomæus cum suis, intraverunt in convivium & occiderunt eum & duos filios eius, & fecit deceptionem magnam in Israel* 1. Machab. ult v. 16. heu quantas deceptiones in Ecclesia Dei per convivia dæmon facit!

At quamvis tyrannus alius absit, qui convivantes de viventium numero expungat, ipsa sibi gula tyrannis est. elegantissimè Seneca l. 19. Rhetoric. *quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. quære nunc cur subitò moriamur? quia mortibus vivimus.* monet proinde aptissimè ep. 9. ad Salvinam *procul sint à convivijs tuis phasides aves, crassi turtures, atagen Ionicus & omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant.* nec patrimonia solùm, sed sanitas, sed vita, sed gloria, res simul spèsque universæ.

Alexander Imperator anno 912. die sextâ Iunij præ cibis, quibus se ingurgitaverat, multum è naribus & pudendis sanguinem & cum sangvine animam effudit. Ità Michaël tertius, Phocas, Zeno perièrunt. parco exemplorum multitudini, quia obvia & quotidiana sunt. O & nos non simus inter exempla! Cecinerit Iuvenalis sat. 1. *quibus in solo vivendi causa palato est* (sicut de Bonoso Vinoso Imperatore testatur Vopiscus, natus est, non ut vivat, sed ut bibat) dicam potiùs: sunt quibus in solo moriendi causa palato est; vel ùt canere malunt alij: sunt quibus in solo sapientia tota palato est, cor videlicet habent in ventre juxta illud Hieronymi, cõtra Jovinanum: *cor habet in ventre gulosus.* Sicut salpæ, contra quos Plato apud Clementem Alexandrinum l. 2. stromat. c. 1. pronunciavit:

nunciavit: nullus homo ex ijs qui ſunt ſub cœlo, poteſt eſſe prudens, utpote qui mentem in ventrem infoderit, ſimili piſci, qui aſinus dicitur, quem dicit Ariſtoteles ſolum ex animalibus cor habere in ventre. Tales ſunt ij qui in ventrem crediderunt, quorum DEus venter eſt, finis interitus. hæc Clemens. Quomodo domeſticum hoc idolum colant gulones deſcribit Hugo Victorinus tr. de clauſtro animæ: *ſolent dijs templa conſtrui, altaria erigi, miniſtri ad ſerviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari: itá Deo ventri templum eſt coquina, altare menſa, miniſtri coci, immolata pecudes cocta carnes, fumus incenſorum odor ſaporum* ô quot hiſcè diebus cadent victimæ, quot apparabuntur aræ, quantà ſacrificabitur ſedulitate, fervore, pietate! ut fructum pietatis ſuæ, præmia videlicet illa conſequantur, quæ è gula ſolent dimanare.

§. 9. *Damna gulæ.*

Gula fons infirmitatis, fax libidinis, deſipientiæ ſemita, mortis janua, nunquam ullis epulis contenta, ait Cyrillus l. 4. Apolog. c. 4 hebræorum proverbium eſt: *plenus venter omne genus mali.* Venter craſſus, inquit aureus orator apud Cornelium in Eccl. p. 670. mentem ſubtilem non parit. multa vorare ad pardalim, urſum & leonem pertinet. pedum dolores & capitis gravitates & oculorum hebetudines, & manuum ægritudines, & tremores, & reſolutiones, & aurigo & febres longæ ac horrentes ex voracitate & repletione produci ſolent. obſonij locò tibi ſit inopia & fames. cibo non ſaturari, ſanitatem eſſe medicorum filij pronuntiant. hactenus Chryſoſtomus. Belluina eorum vita eſt, imò quâvis belluinâ deterior, quos Seneca conſolatione ad Lyb. depingit: vomunt ut edant, edunt ut vomant. ô vomicas naturæ ventri obedientes, inquit idem ep. 61. brutorum animalium in loco numeremus non hominum. Craſſeſcunt enim eorum animæ, ùt Poëta Ethnicus agnovit & belluarum more non niſi in ima feruntur:

: : : : : : : : : corpus onuſtum.

Heſternis

Heſternis vitijs, animum quoque prægravat uná,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Divitem illum epulonem, qui dicebat animæ ſuæ: *requieſce, comede, epulare,* Luc. 12. v. 19. conſiderans D. Baſilius exclamat: ô verba ſtultisſima! ô dementiam ſingularem! nam ſi porcinam habuiſſes animam, quid aliud enunciàre potuiſſes? itàne pecuinus es, ità bonorum animæ ignarus, ut eã exceptes carnalibus epulis? multos ſibi pares & convivas habet hiſcè Bacchanalibus infelix iſte helluo, qui ſcilicet animas ſuas requieſcere, epulari, jucundari & genio indulgere jubent, ignari quòd fortaſſis hac nocte adhuc repetenda ſit anima & æternis cruciatibus mancipanda. Multi eandẽ hodie cum Sardanapalo tenent teſſeram: *ede, bibe, lude, poſt mortem* (poſt Bacchanalia) *nulla voluptas,* quam & ſepulchro ſuo incîdi iuſſit, at quid aliud (inquit Ariſtoteles) in bovis non in regis ſepulchro inſcriberes? eſt omnino epulonibus poſt mortem nulla voluptas, quin nec in vivis ex voracitate talis provenit voluptas, qualis ex moderata ciborum ſumptione proveniret. *quomodo iucunda vita poteſt eſſe,* quærit Cicero Tuſcul. q 5. *à qua abeſt moderatio?* auro dignum Socratis axioma apùd Laërtium l. 2. c. 5. qui frugaliter vivunt, longè plus habent voluptatis ac minus cruciatuum, quàm qui indulgent genio diis ſimillimus eſt qui quàm paucisſimis eget, cùm dii nullius egeant, rei optimum cibi condimentum eſt fames, ut pote quæ optimè edulia edulcet & nullius ſit impendij.

§. 6. *Gulones maledicto ſerpẽti ſimiles. Gen. 3. v. 13.*

Proh cæcitas mortalium! ut hanc æſtimet homo felicitatem ſuam quæ in maledictionem diabolo ſub anguis forma latitanti detorta fuit à juſto vindice: *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* quid niſi terram aſoti comedunt, dum cibos ingerunt, ut eò citiùs revertantur in terram & ſerpentibus ſub terra in pabulum cedant. Vivere tum ſe quidem quàm jucundisſimè putant, cùm convivantur, ſed mortui

ſunt

ſunt & evangelicum illud in ſe derivant; *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. quid enim niſi mortuos ſepeliunt, cum tot aves, piſces & animalia mortua in guttur velut patens ſepulchrum inq; ventrem velut commune cœmiterium teterrimi veſpillones ingerunt, futuri & ipſi ocyus inter mortis victimas & edulia, & ſi nihil minus quám mortē ſōnient, nonniſi ſanitates & ſalutes exhalent. Coronabantur quondam convivæ, coronabantur & victimæ, quia victimæ ſunt mortis convivia, & convivæ ſunt victimæ mortis, tranſeunt epulæ per epulones; tranſeunt epulones per epulas. Si corpus quod corrumpitur aggravat animam, quantò magis aggravabūnt tot ingeſta taurorum, altilium, aquatilium corpora, donec miſerum deprimant in Epulonis ſepulchrum. Ardent omnes epulones in vivis, at longè magis cum epulone Euangelico in infernorum árdent ſepulchris *non Ætna ignes*, ait S. Heronymus ad Furiam *non Vulcania tellus, non Veſuvius & Olympus tantis æſtuant ardoribus, ut iuveniles medullæ dapibus inflammatæ.* ex quibus ardoribus ad ardores ſempiternos facillimus eſt tranſitus & quid mirum ſiquidem dæmonē & in dæmone infernum ſuo enutriunt guloſi in ventre.

Matth. 8. 9. 23.

§. 7. Guloſorum ſtomacho dæmon inſidet.

Ioann: Climaco gr. 14 credamus. *neque Illud te lateat quod plerùmque dæmon ſtomacho inſidet noſtro, facitque ut homo nunquam ſatietur, etiamſi univerſam comederit Ægyptum, totùmque Nilum biberit.* Si ergo dæmoni mendaciorum omnium fabro & parenti fidē non adhibemꝰ, quid Stomacho credimus, quo dæmon plerùmque inſidet? non audit præcepta venter, nec nos ejuſdem audiamus imperia, murmuret, latret, minetur, ringatur, fulminet.

Ioannis Climaci ſententiæ adſtipulatur Clemens Alexandrinus l. 2. ſtrom. c. 1. *ijs, qui ad luxum menſarum propenſi ſunt & ſuos ſibi morbos enutriunt, præeſt dæmon belluo maximus, quem ego non verebor appellare ventris dæmonem, dæmonum autem peſſimum & pernicioſiſſimum.*

Confit

Confirmant id ipſum exempla eorum, qui è gulæ vitio deprehenſi ſunt, malum genium ſuo alere in ſtomacho, aut eidem dari in eſcam. Serapioni paximacium quotidie clepenti, ac gaſtrimargiam ſuam denique confitenti lampas ignea ſulphureum exhalans fœtorem de ſinu, & in lapide gaſtrimargicus abſceſſit dæmon apud Caſſianum collat. 1. Claravallenſis ſub D. Bernardo tyro ventri mancipatus à Dæmonibus gallinam aſſam offerentibus cœnobio extrahitur, poſſidetur, furit & moritur. Ad Macedonium Anachoretam, teſte Radero noſtro in vita Sancti, adducta fuit muliercula, triginta quotidie gallinas abſumere ſolita, quam ille cùm à gaſtrimargico dæmone liberâſſet, nè dimidiam poſthac die toto abſumere potuit, omitto ſinè numero alios aliaſque, triſtiſſimo exemplo ſuo comprobantes ijs, qui ad luxum mēſarum propenſi ſunt, præeſſe *ventris dæmonem, dæmonum peſſimum & pernicioſiſſimum.*

Nunquam Salvator noſter panem fregit diſtribuitque, quin priús oculis in altum ſublatis gratias egiſſet, quia eſca corporalis (ut loquitur D. Vincentius Ferrerius Serm: 1. in Dominic: Lætare) fuit venenata per diabolum, quod venenum ſacris illis ceremonijs pijſſimus Iesus expellebat. Monet proinde Vincentius: *ideo debes poni medicina ſive theriaca contra venenum, ſaltem ad minus dicendo: IESVS! ſi aliam orationem propter tuam guloſitatem non potes facere.*

§. 8. Peroratio elegans Chryſoſt.

Finio verbis Chryſoſtomi ardentiſſimè ita intonantis hom. 54. ad popul: tempus eſt belli (hiſce potiſſimum Bacchanalibus, quibus dæmon quaſi ſolutus de catena intolerabiliùs ferocit) *tempus eſt belli, tempus eſt certaminis, tu verò ſedes in delicijs: ſtat ſtridens dentibus adverſarius, tu autem menſis vacas? Chriſtus fame tabeſcit & tu voracitate temetipſum diſtendis? nunquid manducandi ſumus, quoniam nos ipſos ſaginamus?* ſaginate, ſi placet per nos dies, lumbricis & bufonibus corpora veſtra, imò dæmoni & gehennæ ſaginate animas veſtras; ſit venter Deus ve-

ſter.

ster, sed & finis interitus. Fovete *ventris dæmonem* dæmonum nequissimum, ad eiusq; gustum ingerite & egerite, *donec exeat per nares vestras & vertatur in nauseam* num: 11. v. 20. ego nec benedictionem vobis impertio, sed indignationem & væ, sartagines ignitas, rogos inextinguibiles, esuriem æternam annuntio, ite, edite, bibite, ludite, Iesu Crucifixo illudite, post mortem nulla voluptas, sed æternatura calamitas & nescia finis, nescia salutis, nescia indulgentiæ quadragesimæ.

PHILIPPICA XVI.

In larvatos moriones.

DOMINICA EADEM.

Cœcus quidam sedebat secus viam Luc. 18. v. 35.

§. 1. *Stultorum omnia plena.*

SI quando verum est, quod ethnicus dixit orator: stultorum plena sunt omnia, hicce ter infaustis Bacchanalium ferijs inter Christianos est verissimum: plena stultitiarum omnia, pudet non desipere, pudet impudentem non esse, pudet extra divinarum legum, & conscientiæ orbitam non exerrare; O cæci non secus viam sed in regia inferni via? quàm celeri passu decurrunt Liberi Patris alumni sero exclamaturi: nos insensati ergo erravimus à via. Atque ut alios errores, cæcitates & stultitias his ferijs committi solitas præteream, larvatos solùm inspicere & falsam eorundem insaniam expendere imò conspuere & detestari placeat.

§. 2. *Larvati exosam reddunt legem Christi.*

Quod malè moratis filijs suis Simeoni & Levi, vasis iniquitatis bellantibus, propter Sichimitas nefariè interemptos afflictissimus Patriarcha Iacob dixit Gen: 34. v. 30. *turbastis me & odiosum fecistis me Chananæis Pherezæis*, idem repetere hodie Christus & conqueri potest; ô malesani catholici? odiosum fecistis me Turcis & Iudæis, qui visis larvis vestris & insaniâ falso cum cachinno exclamant: proh qualis est natio Christianorum, qualis Deus & legislator eorum! ecce triduo perannum insaniunt omnes, variasque induti formas discurrunt, bacchantur, pergræcantur & pudet impudentiæ specimen insigne non exhibere; elapso verò triduo, ubi ad mentem redeunt, cinere caput conspergunt, triste quid submurmurant, saccos induunt & deliria sua expiare satagunt; proh ridiculam mentem! vah legem & legislatorem mirabilem! ô dignam omnium odio & execratione religionem! ita Turcæ & Iudæi, quibus larvatorum stultitia odiosam facit Christi legem & immodicam gloriæ nostræ aspergit maculam; quantò satius foret pro larvis molas asinarias collo appendi inque profundum maris demergi, quám scandalum judæis, stultitiam gentibus: sarcasmos turcis creari, legemque Christianam ultimis probris odijsque adversariorum propinari. Cur in paschate, aut pentecoste vel quovis alio anni tempore larvas non induitis & morionum mores refertis? dicetis: quia moris non est. & cur in paschate moris non est? quia contra mores est bonos. quasi verò aliquando moris esse debeat, quod semper moribus honestis repugnat; quasiverò pulchrum sit uno anni tempore & non alio insanire. usquequo parvuli diligitis infantiam & stulti ea, quæ noxia sunt, concupiscitis & imprudentes scientiam odio habetis? pespexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo.

§. 3. *Infelices larvatorum tragediæ.*

Permittit non raro divina Iustitia tristissimos eventus, quos larvati vel inferunt vel sufferre coguntur, ut alienis cauti periculis larvas execrentur. Nondum Germania digessit dolorem, quem ex trium illustrissimorum Comitum Hohenloënsium in flore ætatis irreparabili jacturâ concepit, quando hi Faunos in Bacchanalibus induti consanguineum suum E-

berhar-

berhardum oblectare gestientes, ex prolapsa per incuriam ephæbi face diem cinerum primâ die Bacchanalium celebrârunt omnibusq́ tribus intrà trihorium anno 1570. in arce Waldenberg miserè incineratis. Vix evasit ferales eiusmodi cineres Carolus VI. Galliarum Rex, cùm larvatus choreas duceret, admotâ autem á Duce Aureliani face ignem larva regia conciperet, incenderétque cæteras, quatuor per inextinguibilem flammam extinctis, & Rege per Syrma Reginæ Biturigis, quo involutus ad sopiendam flammam fuerat, vix in vivis servato. Recentius & tristius est, quod in Bacchanalibus anni quadragesimi secundi huius sæculi Parysijs contigit, cùm larvati histriones solennibus nuptijs sub secundarum finem mensarum sese insinuantes eleganti tripudio convivas recreârunt, donec sponsum astu sevocare inqué vicino cubiculo strangulare ac larvâ mortuali contegere potuissent, quem humeris suis in conviuij locum inferentes, saltu funereo mirè omnes oblectârunt, donec signo dato, relicto super pavimentum Sponso, qui verè partes mortui agebat, omnes se subducunt. jubetur tandem & residuus exesse, vellicatur, truditur, propellitur; at frustrà, dum detractâ larvâ sponsus fuisse deprehenditur, qui ludicer morio putabatur. ô luctus! ô lachrymæ! ô tristes nuptiæ! ô infelicissima Bacchanalia! credite larvatis, arridete, plaudite. certi plausum vestrum in planctum, risum in luctum, saltum in exitium omnino abiturum. illuditur hodie à larvatis morionibus sponso animarum Iesu, quem rursus veste albâ, ut quondam Herodes aut ludicrâ purpurâ, ut Pilati satellites vestiunt, dum sese induunt in larvas, cogúntque rursum in semetipsis crucifigi filium Dei ostentui eundem coram Turcis & barbaris habentes. at videbunt aliquando in quem transfixerunt & carò solvent lusum atque larvas, quas perditè amaverunt.

Fuit teste Cresolio Antholog. p. 1. c. 12 sect: 12. in principe Italiæ urbe Bacchicus morio, vir cæterà prudens & so-

lers,

lers, qui ut ludum populo faceret, currum planum & apertum adornavit, purpureis velis & clavis aureis fulgentem. quatuor Neapolitanis equis in purpureis sagulis tractum, spectabatur ipsemet morio cùm totus auro vestitus; ad cujus pedes rarissimæ formæ adolescentes, quasi alterius orbis genij, voce & fidelibus amœnissimè modulabantur. sequebantur servi honorati, juvenes lectissimi, cum jucundo urbis universæ spectaculo. ubi forum & plateæ præcipuæ aliquoties obitæ opiparo convivio omnes comœdi sunt excepti, plaudebant multi, illudebant plurimi. Creditores verò sapienter veriti, nè mutuò datam serò reciperent pecuniam irruunt in hominem, repetunt mutuum, exprobrant amentiam & luxum. ille velut cornicula, deplumatus, illusus, in carcerem insuper abreptus, extremum paulò post diem in eodem præ dolore obijt. has nimirum larvati ganeones metentur caveas: ut resipiscant & larvas suas perhorrescant.

§. 4. *Larvatorum pœna.*

Sophoniæ 1. v. 8. minatur serius larvarum osor scelerúmque sub larvis patrari solitorum ultor DEVS: *in die Hostiæ Domini visitabo super principes & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrinâ.* quæ est dies hostiæ in visitationẽ severã constituta? ad literam, dies excidij Solymæi denotabatur, quin ipsa futura erat hostia, inquit Cornelius, mactanda à Philisthæis Domino. posset & per diem hostiæ hodierna antecineralis Dominica intelligi, quâ per omnes Societatis nostræ Ecclesias sacrosancta Hostia publicæ venerationi prostat, indictis quadraginta horarum precibus, propositísque de thesauris Ecclesiæ indulgentijs plenarijs, quotquot in communione precum & fractionis Eucharistici panis perseverârint, in hac die hostiæ visitabit Dominus super omnes veste peregrinâ seu larvâ histrionicâ indutos, ut vel in flagranti eosdem corripiat, vel in diuturniorem ultionem meritas pœnas differat, & quemadmodum nunc illi per larvas, ita ipse per cancellos; Vel (ut ajunt) per digitos prospiciat, dissi-

S 3 mulatâ

mulatâ tantiſper pœnâ. *Viſitabo ſuper principes*, qui Bacchanaliſticas ſtultitias non prohibuerunt, non puniverunt, non aboleverunt, ſed laudârunt, ſed foverunt, ſed præmio affecerunt. viſitabo ſuper filios regis ſeu Chriſtianos, qui magni Regis filij ſunt, *filij excelſi omnes*, quod ab excelſis cogitationibùs filiorum DEI nimium quantum degenerârint, larvas induti, & vivas amentium imagines mentiti, qui ad increatæ imaginem Sapientiæ conditi ſunt. Viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina idololatris propriâ, unde & Chaldæus legit: qui perſtrepunt ad cultum idolorum; idololatras enim ſe ſimulant, qui eorundem exemplo larvas induunt, ſi præſertim feminea veſtes ſint, contra quas fulmen anathematis detorſit concilium Gangrenſe, ut habetur diſtinct. 30. c. *ſi qua mulier*, hæc enim veſtium uni ſexui propriarum permutatio idololatriam ſapit, ut ſapientiſſimè obſervavit Cardinalis Cuſanus: *idololatra enim, mulieres veſtes viriles & arma in honorem Martis induebant, & viri muliebres in honorem Veneris*. dicetur proinde inſipientiſſimis morionibus in die viſitationis, quod Senacherib exprobratum fuit: inſanîſti in me 4. Reg: 19. furebas adverſum me, & ego nunc furorem meum effundam in te.

Cuſ. l. 2. exercitat. ſer. ibant Magi.

§ 5. Audite larvati, ſcitisné, quò prognati ſitis de genere? quis pater veſter, quis author ſtemmatis? *progenies viperarum, vos ex patre diabolo eſtis*. Primus in *maſcara* dæmon fuit, ſerpentinâ mentitus formam, ut originali juſtitiâ protoparentes privaret, ſuæque ditioni ſubijceret. hujus vos aſſeclæ ad peccandum liberiùs larvas aſſumitis, imaginem Dei in vobis deſtructum itis. Si quis imaginem Cæſaris aut Monarchæ alicujus indueret habitu morionis & per plateas circumlatam obviorum riſui exponeret, an non læſæ Majeſtatis reus gladios, rotas, rogos mereretur? & vos imaginem Dei in vobiſmetipſis turpiſſimè traducentes iram omnipotentis non timetis? prohibens Deus in lege veteri Deut: 22. muliebrem veſtem à viro

Larvati ſunt progenies dæmonum.

à viro indui & virilem à muliere, cauſam apponit, *abominabilis enim apud Deum eſt, qui facit hæc*. Sufficere nobis hoc ſeveræ aſſertionis fulmen deberet ad omnem maſcaram lacerandam, conculcandam, abominandam, nè coram Deo abominabiles ſimus. Concilium Gangrenſe, ut habetur diſtinct 30. cap. *ſi qua mulier*, ſub anathemate veſtes eiuſmodi prohibuit, eò quòd ſint contra honeſtatem, verecundiam, caſtitatem. Et quæ tandem inde vobis voluptas? pudet vos eſſe homines, pudet eſſe viros, pudet eſſe prudentes, pudet eſſe Chriſtianos; ideo belluas induitis, fœminas agitis, moriones ſimulatis; gentiliſmum revocatis, *Chriſtiani eſtis omnes*, exclamabat olim Auguſtinus ſerm. in Kal. Ianuar. qui eſt ſer. 59. ex div *Deo propitio Chriſtiana eſt civitas, ſi chriſtiana eſt, quare gentilizat?* quare S. Maximi provocat & revocat iram hõ. de circumc. contra larvatos loquentis: *nunquid non omnem excedit inſaniam, cùm decorem vultûs humani deturpant, grave utiq́; eorum cor eſt & omni impietate depreſſum*. O ſi viveret Franciſcus Chriſtianiſſimus, qui ſub bonorum proſcriptione alijsq́; pœnis larvas prohibuit anno 1539. O ſi viveret Innocentius tertius, qui contra larvas ejuſmodi tanquam *turpitudines ludibria & corruptelas* apoſtolicæ comminationis fulmen projecit! ô ſi reviviſceret in hac urbe laudatiſſima Longobardorum lex, quâ octuaginta ſolidi in cujuſvis larvæ mulctam decernebantur, nec alio quàm diabolorum nomine larvati appellari jubebantur! ô ſi renovaretur antiqua Anglorum lex, quâ ſupplicium capitis larvatis omnibus indicebatur, quàm foret terra noſtra Anglica & cœlum terreſtre. væ vobis iterumqué væ larvati! ſevera vos monet correptio, quã Sophoniæ 1. v. 8. juſtus Deus ſtatuit; *viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrinâ*; ſeriùs aut citiùs; hoc ſeveriùs, quò ſeriùs vos viſitabit, eandémque quam in fatuas virgines fulminabit ſententiam: *neſcio vos*. neſcit Incarnata Sapientia ſtultos ſtultáſque ſuâ ſic infatuatos malitiâ. Mirabile eſt, quod nullum

C. cum decorem debit. & hon. Cleric.

nullum unquam stultum Christus in Evangelijs curâsse legatur, etsi alios morbos omnes libentissimè persanârit. Nimirum nihil sapientiæ cum stultis, nihil veritati cum fictis pictisquè morionibus, nihil Christo mansvetissimo cum Bacchanticis furijs, Vos ego! sed motos præstat componere motus.

§. 6. Larvatis debentur probra & verbera. Frustra ego ista larvatis, quia stultis; ite ergo per me licet, & quas vultis larvas subite, discurrite, petulcite, insanientes sed & vos pueri clamoribus nequaquam parcite, stultos stultos, congeminatis vocibus proclamate, luto & quisquilijs impetite, hoc enim verò merentur, hoc desiderant, hoc quærunt. habeant ergo quod nolunt, non enim injuria fieri potest volentibus; habeant, quod sapiens præcepit stultitiæ remedium: non decent stultum deliciæ; parata sunt derisoribus judicia & mallei percutientes stultorum corporibus sapiant icti. *Proverb. 19. v. 10. & 25.*

PHILIPPICA XVII.

Jn carnivoros.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Esuriit. Matth. 4. v. 2.

§. 5. Præceptum jejunij quadragesimalis antiquissimũ. Legem quadragesimalis jejunij novitiam non esse, ut Novatores volunt, noverunt quotquot humani divinique juris peritiores sunt. Jejunavit dies 40 Noë in arca, jejunavit ante legem scriptam Moyses, post legem Elias; jejunavit supremus legislator dies noctésque 40. & sacrum hoc jejunium exemplo suo firmavit. *Quod quadragesimam jejunamus,*

jejunamus, inquit Chrisologus: *non est humana inventio, authoritas est divina.* *Chrysol. ser. 11.* Ex Canone Apostolorum sexagesimo octavo liquet præceptum quadragesimalis jejunij confirmaturq; illâ Augustini regulâ: *quæcunq; in tota Ecclesia observantur, & in nullo concilio instituta inveniuntur, sine dubio ex Apostolica traditione descendunt.* *S. August: l. 4. de bapti. c. 24.* Cùm ergo in nullo inveniatur concilio quasi recens institutum quadragesimale jejunium, dubium esse non potest, ab ipsis Apostolorum temporibus sumptum fuisse exordium. Quapropter audacter Abulensis: *quadragesimam ipse S. Petrus primus instituit jejunare.* Jejunâsse Noëmum in arca ut suprà dicere me memini. S. Chrysologus docuit ser. 166. *à tempore diluvij sacramenti hujus operiebatur mysterium*, quæ verba interpretatus B. Alcoinus interrog. 126. Noëmus, inquit, in arca jejunavit, quòd verò post 40. dies fenestram dicitur aperuisse significat jejunio cælum reserari. Quapropter standum est verbis S. Epiphanij hæresi 75 quæ recitat & confirmat S. Augustinus ser. 62. *Testatur Abul. qu. 152. in c. 6. Matth.* *aliis diebus jejunare remedium est aut premium, in quadragesima non jejunare peccatum est.* Vbi sunt jam illi, qui jejunium quadragesimale nemini prodesse ajunt cum hæresiarcha Joviniano, superstitiosum asserunt cũ Calvino, Dæmonũ doctrinam interpretantur cum Luthero. Audiant hi Paulum non tam fulmina ore jaculantem, quâm lachrymarum flumina oculis profundentem, quibus eorum insaniam & plusquàm diabolicam malitiam deplorat & exclamat; *multi ambulant quos sæpe dictum vobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum Deus venter est, quorum finis interitus.* Contra hos præsens aget dictio, & nè actum agat, frustraqué illis esum carnium hoc quadragesimæ tempore dissvadeat, tria ijsdem fercula apponet optica, quibus non oculos tantùm aurésque sed ventrem & ingluviem suam abundantissimè satiabunt.

§. Cibóris Ferculum Ferculum primum est caput Joannis Baptistæ in disco. Diu insinuabatur aulico huic concionatori inimica veritatis

[illegible] ap-ponitur ca-put Ioannis Baptiſtæ.

Herodias, *volebat occidere eum nec poterat.* Marc. 6 v. 29. quo-ties opportunè, importunè, apud regem inſtitit, quoties blan-ditijs, quoties lachrymis egit, quoties mærores & furias ſi-mulavit, ſed fruſtrà omnia, perſvadere Regi non potuit, ut innoxium Baptiſtam de medio tolleret, diſſimulandum erat donec *dies opportunus* ut Evangeliſta loquitur, accidiſſet. Con-vivij dies is fuit, quo inter fercula optica Ioannis Baptiſtæ ca-put apponi debuit: *ecce quid parturiunt totis noctibus protracta convivia*: exclamat Chryſologus, quid parturiunt eſus car-nium, parturiunt enim verò contemptum Dei, funera, ty-rannidem, mala omnia; ut non immeritò Tertullianus gu-lam peccato originali aut equo Trojano contulerit, ex quo univerſitas iniquitatum redundavit. *Rapitur ad pænam*, inquit de Ioanne B. Ambroſius, *convivali tempore, ſanguine effuſo opus eſt, ut condiantur epulæ.* Quod Herodias quondam Ioanni hoc hodie caro noſtra Chriſto facit, ſolicitat anno toto ad peccata mortalia, hoc eſt ad effundendum ſanguinem Filij Dei, vultq; nos crudeles non in *vocem* verbi ſed *verbum* ipſum. Si anno toto fruſtra egit, hoc tempore hoc die non fruſtra; eſt namque illi *dies opportunus.* Sed ô peccator cùm caro ſive aſſa ſive elixa apponitur, ſcito cruentum eſſe caput Chriſti, quale Veronicæ in linteum accipimus impreſſum, ſcito eſſe recentem ſanguinem qui contra Te vindictam clamat, mor-bos, mortem evocat, infernum concitat, ô nè comedas, clamantem pro Chriſto audio Chryſoſtomum hom: 1. in c. Gen. to. 1. *non attendas ad laborem ſolum ſed ad fructum, labor quidem nobis eſt in ieiunando, at nondum pro domino IESV crucifixi ſumus, maiora ipſe tulit, parva nos reddimus crucifixus eſt propter te & ſitit & bibit acetum cum felle propter te. quid tu propter ipſum? ſtas in labore, nondum pependiſti in cruce, nè ſis ingratus erga Dominum IESVM, qui non compatitur IESV, ignorat IESVM.* Non compatitur, qui non jejunat; compaſſi Jobo amici ſeptiduo comederunt nihil; non requirit à te tantum tuus Ieſus, ſed ut

Chryſol. ſer. 174.

Tertul. l. ad Pſych. c. 1.

ut ſex ſeptimanis unico edulio tibi interdicas, idque in gra-tiam carnis ſuæ, quæ pro te dilacerata, in gratiam ſanguinis, qui pro te effuſus, in gratiam fellis & aceti, quod pro te po-tatum in gratiam mortis, quæ pro te obita.

§. V. Alterum ferculum mummia Iſraëlitica.

In altero diſco præſento Mummias non Ægyptias ſed ex Ægypto eggreſſorum Iſraëlitarum, intra quorum dentes ad-huc hærent carnes. Votum illorum erat, quale & veſtrum: *quis dabit nobis carnes ad veſcendum? anima noſtra arida eſt & nau-ſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* num. 11. v. 9, blaſphemum hoc erat murmur in Deum & veſana rebellio, exprobrabant enim Deo: non eſt ditior cœli dominus, quàm ut unico ſemper ferculo ſuos paſcat ſervos, clientes, amicos? ſumusné pecora ut uno nos tantùm cibo alat? non ſumus alio cibo digni, quàm ſolo pane? quid nobis cum manna, quid cum putido cibo, qui in diem tertium ſervari non poteſt? ô quàm no-bis meliùs in Ægypto ad ollas carnis, ad allia & cepas! ità murmurones illi patibularii, quorum vociferationibus com-motus Deus (ſuſpecta eſt mihi hæc vox *Cras* quæ corvum ſo-nat) *cras*, ait, *comedetis carnes donec exeant per nares veſtras & ver-tantur in nauſeam*: quod & die poſterâ factum, coturnicibus enim tractati ſunt, quas vorârunt uſque ad nauſeam & æternam ſatietatem; vorârunt enim unà mortem: *adhuc carnes erant in dentibus eorum, & furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plagâ magnâ nimis, vocatusq; eſt locus ille: ſepulchrum concupiſcentiæ.* Innumeri ſunt qui diem Dominicum non ſu-pervixerunt, quia die Sabbati carnes vorârunt. Multi pa-ſcha non attigerunt, quia quadrageſimam non obſervârunt, Matrisq; Eccleſiæ præceptum non honorârunt, ut eſſent longævi ſuper terram. Multi corvis infernalibus in pabulum ceſſerunt, quia cum epulone quotidie epulati ſplendidè, je-junia & tempus pœnitentiæ procraſtinârunt. Multi fleve-runt, flebuntq; quia Ægyptiorum Numen & obſonium, ce-pas cum carnibus uſq; ad lachrymas abliguriêrunt. O quot viverent, ſi parciùs carnibus & quidem hoc verno tempore,

quo juvenis caro plùs veneni quã elementi habet, usi fuissent. Elfegus Episcopus in Anglia sanctissimus hâc ipsâ Dominicâ

Baronius ad annum 947. primâ Quadragesimæ ferventissimè in carnivoros detonuerat, sed bruto, ut non nemini videbatur fulmine; unus enim more apud reprobos recepto & concionatorem ridere, traducere, pungere, animum in proposito vorandarum carnium obstinare; quod cùm Episcopus inaudiîsset: *ò miser!* exclamavit, *nescis quid ventura tibi pariet dies.* Oraculum hoc fuit & non inane tonitru, sequenti enim manè irrisor ille morte subitaneâ extinctus in lectulo suo repertus est. Deus non irri-

Proverb. 1. v. 26. deretur! amarus sarcasmus omnes illusores manet, *ego quoque in interitu vestro ridebo.* Cavete irrisores, attendite illusores, quovis momento Deus eâdem in vos plagâ animadvertere, si vult potest; quâvis horâ corvos infernales mittere, qui animam vestram extrahant, vitam depabulentur, crastinum vos videre non sinant. Sicut corvorum escæ sunt cadavera, ità carnivori sunt infernalium corvorum pabulum.

§. 4. Tertium ferculum Corvus Eliæ.

Corvorum cùm memini, tertium ecce vobis apponitur ferculum Corvus videlicet ille, qui Eliæ carnes in quotidianum dimensum attulisse legitur 3 Reg. 17. v. 6. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè & vesperi.* à corvis abstinentiam discite ô corvis deteriores carnivori? parcunt carnibus corvi & Eliæ in torrente Carith contra Jordanem sedenti ad nutum Numinis deferunt; & vos amantissimo Iesu vestro ad Jordanem jejunanti carnes non deferetis, sed ipsi devorabitis? quin Eremitam illum imitamini, qui ad carnes gustandas tentatus, emit quidem & in medio cellulæ suspendit, seq; sanctissimâ voculâ corvinâ animavit, *cras comedemus non hodie, cras cras.* nec ante attigit, quàm puterent, vermi narent, defluerent; ibi nares, ibi os, ibi lingvam applicare seq; hortari: epulare nunc quas tantopere desiderâsti carnes; hem delicias tuas, in quarum gratiam gratiâ DEI excidere, Iesum crucifigere, spiritum extingvere parabas. ô quàm

quàm rarus hodie similis athleta, rara avis in terris alboq; simillima corvo. Ad Eliam redeo & ingeniosius quid ob[illegible] c[illegible]tum videlicet Prophetam diversis vicibus fuisse à [illegible] ut jam memini, aliàs ab Angelo, cùm persequentem Jesabelem mortemq;, ut legere est 3. Reg. 19. fugeret; pascit Eliam corvus, & quid apponit dum archimagirum agit? panem & carnes, manè & vesperi. Pascit eundem Angelus & quo obsecro edulio? *Angelus Domini tetigit eum & dixit illi: surge & comede, respexit & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ.* nihil de carnibus? nè offula quidem? cur tam parcus Angelus est & à corvo vinci se patitur? non offert carnes quia bonus Angelus est, corvus verò carnes bis affert, quia dæmonis refert figuram, hic enim carnes svadet, porrigit, ingerit, ut carnibus pasti in pabulum denique corvis cedant. Persequitur nos hodie scelerata Jezabel, sensualitas inquam & concupiscentia, mortem intentat, afflictiones ingeminat, fugiamus ad montem ubi Christus est, fugiamus ad montem qui Christus est, ad montem ubi epulatur hodie post victoriam Christus, ad montem Calvariæ ubi pro nobis moritur Christus, sub crucis Junipero contenti simus pane & aquâ, ab Angelo oblatis, non curemus quas corvus offert carnes, plùs enim satiabit & confortabit nos panis quàm caro, ut confecto quadraginta dierum jejunio perveniamus ad montes Galilææ, ubi se videndum promittit Christus in immortali gloria, & immortalitate gloriosa. Amen.



PHILIPPICA XVIII.

In mancipia dœmoniorum.

DOMINICA EADEM.

Vade Sathana. Matth. 4. v. 10.

§. 1. *Eva tentatur pomo, Christus omnibus regnis.*

EVam in paradiſo decepturus dæmon unicum duntaxat pomum eidem oſtendit, at verò omnia mundi regna offert Chriſto, ut ſi poſſit ad deferendam ſibi latriam illum inducat: *ſi cadens adoraveris me*. noverat verſipellis inimicus non magno opus eſſe molimine, ut homo ad acceptandos per fas & nefas honores inducatur, difficile autem eſſe, ut ſe ſubmittat alteri & homagium præſtet; hic labor hic omnibus mundi regnis opus eſt. omnia mundi regna ultro promittit & offert dæmon, ut unicum lethale crimen à Domino Ieſu impetret. quâ in pollicitatione impudentiam dæmonis arguit D. Gaudentius, mendacitatem exprobrat S. Chryſoſtomus *o effrenis diaboli mendacis audacia* (verba Gaudentij) Dominum ſentit & tentat, Dominum novit univerſæ creaturæ, & tamen ſe largiturum poſſeſſionem creaturarum pollicetur, per quem creata eſſe omnia non ignorat. Chryſoſtomus verò: *conſidera*, inquit, *quomodo omnis promiſſio eius irrationabilis ſit & mendax. certè uni omnia dare non poterat, niſi ab hominibus omnia tolleret.* Verùm ego non tam impudentiam & falſitatem dæmonis miror, quàm pretium hominis admiror, quod tanti facit dæmon, ut homini emendo non unum auri millionem, non regnum integrum, ſed omnia mundi regna polliceatur: *hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me.* unicam adorationem ab homine ſibi factam non dimidij

S. Gauden. ser. 9. de Villico.

D. Chryſoſt. hom. 5. in imperf.

midij regni pretio ut Aſſverus & Herodes æquiparat, ſed orbi univerſo componit: *hæc omnia tibi dabo:* quid autem homo? adeò ignavus & ſibi ipſi injurius eſt, ut non omnia mundi regna, ſed nummulum aureum, coloratum videlicet lutum, unius momenti voluptatulam, fumum & umbram honoris emendicet à dæmone, ſeq; viciſſim in mancipium perpetuum devoveat, quæ inſania cùm nè Angelicâ quidem facundiâ exprimi ſufficienter poſſit, mirum non erit, ſi me verba priùs defecerint, quàm dignum aliquid contra indigniſſimam hanc dementiam videar protuliſſe.

§. 2. *Diabolus qualis princeps.*

Et qui ille eſt, cuius imperio te infeliciſſime peccator ſubijcis? *princeps mundi* inquies. qualis princeps? tenebrarum, quiſquiliarum, ſordium, abominationum, princeps nequitiarum & fraudium, unde nomen diaboli vel zabuli accepit, cui nomina millia mille nocendi artes. *Diabolus quantum ad ſe* (inquit Chryſoſtomus in c. 4. Matth.) *nunquam ceſſaret tentans, nec enim habet alium actum, non manducat, non bibit, non dormit, nec habet negotium aliud niſi ut tentet, ut fallat, ut ſubvertat; hic eſt cibus illius, hic honor, hoc & gaudium.* Vulpem agit cùm leonem non poteſt, & arte potiſſimum fallit, cùm vi & marte nequit. Myſterio redundant verba illa Sponſi. Cant. 2. v. 15. *capite nobis vulpes parvulas*, ſicut vulpes cepit Samſon & alligatis ad caudas facibus in vineas & hoſtium ſegetes immiſit, quæ ſunt vulpes parvulæ neceſſariò capiendæ, nè decipiant & damna grandia inferant? dæmones ſunt de quorum primipilo ita loquitur D. Gregorius Nyſſenus hom. 5. in Cant. *hic tantus Imperator legionum dæmonū quomodo nominatur vulpes parva & omnes qui eum circumſtant & univerſus eius exercitus vulpeculæ? non enim dicit: venamini aprum ſylveſtrem aut ſingularem ferum aut rugientem leonem aut magnum draconem, ſed parvas vulpes & infelices*, quæ quia de ſtatu felicitatis æternæ & vineâ cœleſtium deliciarum expulſæ ſunt; idcirco vulpinantur in terris, ut vineam Chriſti facibus concupiſcentiarum ſuccendant & demoliantur. Sit

§. 3. *Diabolus princeps stultitiæ.*

Sit autem quantumcunq; vult versipellis & vafer diabolus, nihilominùs tamen *totius stultitiæ princeps* à S. Bernardo serm. in c. 12 Apoc. meritissimò appellatur. capitur enim astutus in astutia sua, suâq; producitur in stultitia, stultissimum fuit illud dæmonis consilium, etsi ex medulla, ut sic dicam, diabolici ingenij profectum, quo mortem Christi per uxorem Pilati præpedire satagit, *consultiùs propositi sui poterat obtinere effectum, si quos inflammaverat sacerdotum animos evertisset,* inquit Laurentius Justinianus de triumphali agone c. 13. §. 5. consilia Sacerdotum dissipare, si saperet dæmon, debebat & principum studia evertere, ut Christo in vivis servato redemptio generis humani impediretur; at ut se totius stultitiæ principem demonstraret, per fœminam turbandæ redemptionis negotium egit & egit actum. Verùm ut innumeros stultitiæ diabolicæ actus passim in scripturis insinuatos prætercam, satis superq; in hodierno Evangelio stultissima sua consilia prodidit, cùm incarnatam sapientiam triplici tentatione aggredi præsumpsit. quid enim stultius quàm famelico lapides offerre pro cibo ad gulam irritandàm; ô digna lapide dementia! egregiâ dæmonem ironiâ accipit D. Petrus Chrysologus serm. 13. *Miser, malus vis esse, sed non potes! cupis tentare sed nescis; esurienti offerre tenera non dura debuisti; famem non asperis palpare sed blandis, inediam non horridis debuerat urgere sed gulosis ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas tentator intellige.* Deinde quid insanius, quàm è templi pinnaculo præcipitium potiùs suadere, quàm in aëre volatum aut aliud ostentationis portentum; ô præceps & infimo terræ puncto dignum consilium! quid dementius quàm pro unius & dorationis officiolo totius dominium mundi polliceri, pro umbram pro sole, putidum pomulum pro toto pomario, pro gillum terræ pro universo regno licitari & dilapidare? O stultitiarum omnium caput & compendium! considerat doctissimus Didacus Nyssenus in triplici hac tentatione triplicem

Didacus Niss. politic p. 2. l. 3. c. 6. p. 86.

plicem dæmonis genium, crudelitatem in lapidibus, impietatem in præcipitio, stultitiam in petito adorationis homagio. verùm in singulis pariter tentationibus crudelem, impium, stultum liquet fuisse, nec ullâ omnino tentatione hominem pulsat, quin triplicem hanc suam proprietatem, crudelitatem, impietatem, stultitiam manifestet, quam si non agnoscimus, aut agnitam nihilominùs admittimus, næ nos dæmonibus omnibus stultiores, sceleratiores, & in ipsos crudeliores sumus.

§. 4. *Diabolus similis pardali.*

Juratus iste & implacabilis humani generis inimicus sicut odium in Deum nunquam deponit, sed auget in dies juxta illud psalmi 73. *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* ita & furorem in homines magis magisq; inflammat. Pardali comparat D. Basilius dæmonem hom. de script. loc. pardalis animal est homini inimicissimum adeò, ut quandoq; in stadijs hominis oculos præ ira invadat: qui autem feræ furorem deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt: illa statim furibunda eam concerpit & dilacerat, hoc argumento satis ostendens, quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic etiam diabolus hominem in imagine apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit; hinc ipsi bellum tam acre contra nos. huc usque Basilius, tantâ porrò nocendi cupiditate ardet nostrisq; ita delectatur calamitatibus, ut licèt noverit nullum aliud nostris ex casibus sibi lucrum accedere, quàm majora supplicia, malit tamen ampliùs torqueri, quàm à nocendi hominibus studio vel momento desistere, quasi requies & beatitudo, ut sic dicam, dæmonis sit nocere mortalibus.

§. 5. *Requies dæmonis est homini nocere.*

Lucæ 11. ait Dominus dæmonem expulsum ab homine loca petere inaquosa: *ambulat per loca inaquosa quærens requiem.* ubi requiem inveniet qui infernum suum ubivis locorum circumfert? quomodo requiem capesset, qui irrequietâ laniantis conscientiæ tempestate nunquā non agitatur? quando

requiem inveniet, qui evidenter cognoſcit æternum ſe Dei hoſtem ſpoliatum ſpe omni beatitudinis comparandæ & integrandæ gratiæ? quid tandem ? requiem quærit, quia nocere homini molitur, quia perniciem generi noſtro ſtruit, quia decipulas mille artifex tendit : *quando nocere poteſt, quieſcit aliquo modo*, inquit Abulenſis. hæc eſt illius beatitudo, hæc gloria, hoc cœlũ nocere electo Dei populo, ſeducere Chriſti oviculas, pervertere Dei hominis ſponſas, evertere viva Spiritus Sancti templa. S.Proſper Aquitanicus l. 3. de vita contempl. c. 8. depingens tripudium dæmonis in hominis ruina, ſic mortalem unumquemque alloquitur : Tuis malis paſtus exultat, invitat, ut feriat, erigit, ut elidat fovet, ut perdat, qui inexplebiliter de ipſa perditorum captivitate tripudiat. attende cæce & miſerande peccator, cui fidas, cui obſequaris, cui ſervias, quî cum paciſcaris : fraudulentiſſimus hoſtis eſt, juratus animæ tuæ latro eſt, indefeſſus inſidiator eſt, qui non niſi incommodis tuis paſcitur, adverſitate & melancholiâ lætatur, ruinâ tuâ exultat, excidio tuo triumphat; mel quidem ſe præbere ſimulat, ſed fel & toxicum fraudulentus porrigit; elevat te ut graviùs deijciat, fovet ur ſauciet, ungit ut pungat, amplectitur ut ſuffocet, & quoties te cecidiſſe videt, ingemiſcentem audit, perditum contemplatur, toties tripudiat, volat, jubilat, ſolumq; illum feſtum habet diem, qui infeſtus tibi fuerit & exitialis.

Non minori verborum nitore eandem veritatem exprimit Cellenſium Abbas Petrus l. de pan. c. 12. *tormentis noſtris delectatur, doloribus refrigeratur, effuſio noſtri ſanguinis eſt cui poculum mellis*. Jungamus Petro Petrum, Abbati ArchiEpiſcopum, Chryſologum inquam ſerm. 12. *capit ille ſatietatem, voluptatem percipit, expletur epulis, quando nos libido ſolvit, quando moriuntur virtutes, vivunt vitia*. Et huic capitaliſſimo hoſti homo ſe devoveat? opem imploret? fœdera contrahat? colludat; & ob rem nihili intolerando illius jugo ſe mancipet? Notum

eſt

eſt illud Democratis Athenienſium legati (Lauredani verba exſcribere placuit) qui finitâ legatione apud Philippum Macedoniæ Regem, patrem Alexandri magni, cùm dixiſſet Rex : quidnam cupiunt Athenienſes, quod eis præſtare poſſim? libenter enim faciam? repoſuit : *ut te ipſum ſuſpendas* ſive ut cervices frangas. Athenienſes, ut ità dicam, omnes dæmones ſunt, omnis homo eſt illis Philippus; deſiderium eorum eſt ut Philippi omnes eum ſucceſſum habeant. hæc Lauredanus.

Lauredan. tit. dæmon pag. 670.

Quæ prima fuit dæmonis in cœlo intentio, ea etiamnum in inferno perdurat, nec temporis varietate, nec ſuppliciorum gravitate mutatur : *diabolus ſemper in id, quod in principio appetiit, perſeverat*, inquit Doctor Angelicus ſuper illud Iſ. 24. in cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum. *propterea inducit ad idololatriam homines volens ſibi uſurpare, quod Dei eſt*. ad hæc adoratio dæmonis ruina eſt hominis, nonniſi enim à prociduo vult honorari : *ſi cadens adoraveris me*. miſerrimè cadit, qui turpiſſimam beſtiam adorare dignatur. *ipſe confitetur, quoniam adorare eum & voluntatem eius facere, cadere eſt à gloria Dei. Et quid ſvave aut bonum participare poteſt, qui cecidit? aut quid aliud ſperare poteſt, qui talis eſt, niſi mortem? ei enim, qui cecidit, proxima mors eſt*. hæc perquàm eruditè D. Irenæus l. 5. c. 22. Nonniſi caſum & ruinam noſtram hoſtis nequam deſiderat & molitur, unde & in ſecunda tentatione ſervatori noſtro dixit: *mitte te deorſum* cur non potius : aſcende in altum, captivam duc captivitatem? *convenientiùs dixiſſet* (Chryſologum recito ſerm. 13.) *ſi Filius Dei es, aſcende in cælum, cùm ſit hominis utiq; ad ima cadere, Dei ſit ad ſuperna conſcendere. Sic ſuis ſvadet, ſic ſuis providet ſemper, ſic ſuos elevat, ut de alto præcipitet validiùs in ruinam. conſiliis ſuis ſe diabolus prodit*. hæc Chryſologus, cui Chryſoſtomus correſpondet homil. 5. in imperfect. non dixit ambula per aërem, ſed tantùm dixit : mitte te deorſum, ſi es filius Dei, ut ſciamus, quia omnis qui obedit diabolo,

§. 6. Servire diabolo cadere eſt.

Sylv. to. 1. l. 3. c. 3. q. 38.

V 2 ipſe

ipſe ſe deponit deorſum. in profundiſſimum malorum omnium barathrum cadit, quisquis credit & cedit ſuggeſtionibus inimici, quia enim *diabolus deorſum ceciderat*, inquit D. Bonaventura in c. 4. Lucæ. *libenter omnes deorſum trahit.* & trahi nos in exitium noſtrum ſcientes volentes patiemur?

§. 7. Diabolus aſſeclas ſuos in opprobrium ponit.

Vt verò cò facilius trahat deorſum, excæcat priùs hominem, ſicut aquila iniectis pulveribus cervum, quem in præcipitium impellit. Figuram dæmonis repræſentavit Ammonitarum Tyrannus, qui à viris Jabes in ſignum fœderis petîit, ut eruere dextrum cuivis poſſet oculum, omniumq; ludibrio eosdem exponere: *in hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros & ponam vos opprobrium in univerſo Iſrael.* 1. Reg. 11. v. 11. crudele certè fœdus, at diabolo proprium, quia quisquis antiquo hoſti (verba ſunt Petri Damiani l. 6. epiſt: 5. ad Abbates & Monachos) in perverſa ſuggeſtione ſubſternitur, dum ſe tanquam ſuperbo regi turpiter fœderat, neceſſe eſt, ut dextrum oculum, hoc eſt lumen contemplationis amittat, & ſic opprobrium in Iſraël ponitur, quia probroſæ deriſionis obtrectationibus morde tur. Non vident excæcata dæmonum mancipia miſerrimā ſuam conditionem & opprobrium, quod apud Deum, Angelos, homines, imò ipſosmet dæmones incurrunt. Vide Judam ex ficulnea pendentem, qui, ut loquitur Venerabilis Beda, in aëris medio perîit, quia cœlo terræq; peroſus fuit. *quantos putamus in eo fuiſſe tortores* inquit D. Ambroſius in pſ. 35. *ut ſibi ipſe tam gravis pœna exactor incumberet & ſemetipſum ſtrangularet.* Jam diu erat (verba Drogonis Hoſtienſis lib. 1. de ſacrament. paſſion.) quòd avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat. Iu ſed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit. ſo aëre perîit, ut foret opprobrium in Iſraël & aërearum ſocius poteſtatum agnoſceretur. Ita Bernardus ſentit ſerm. 9. in pſ. 90. *Iudas in aëre crepuit medius, aërearum collega poteſtatum.* quòd Clarius Hugo; *ideo autem ſuſpenſus eſt laqueo ad innuendum, quòd*

erat ſocius dæmonum, qui erant in aere. ita aſſeclas & ſervos ſuos dæmon deſtituit proſtituitq;, ut non tantùm in futuro, ſed & in hoc ſæculo ignominiâ velut cauterio ſignentur & morte turpiſſima in rogis, rotis, patibulis condemnentur. Non eget Deo ultore & interfectore (verba ſunt Baëzæ expendentis cur Senacherib non ſit occiſus ab Angelo inter centum octuaginta quinque millia interemptorum, ſed à filijs ſuis, cùm adoraret Deum ſuum Adramelech 4. Reg 19. (non eget Deo ultore, qui dæmoni ſervit: diabolus ipſe carnifex ſuorum eſt & indignè fert, quòd ſui communi clade concidant, quos ipſe omnium crudeliſſimè ad caſum & perniciem impellit. & adhuc tam improvidi erimus, ut temporanei ſempiterniq; opprobrij periculum ultro ſubeamus?

Baëz. tom. 1. fol. 130.

§. 8. Eleganti figurâ id ipſum confirmatur.

Ponam vos opprobrium in Iſraël. Expertus eſt univerſus Iſraël hoc opprobrium, quando ad conflandum aureum vitulum, inaures ſuas & cimmelia conferre debuit, ſeq; pretioſiſſimis quibusq; ornamentis denudare. unde ſacer textus ait: *videns ergò Moyſes populum quòd eſſet nudatus.* hoc eſt: excœſariatus, ut explicat Cornelius ſive cæſarie ſuâ ſpoliatus, coronâ & diademate, quod quaſi libertatis inſigne cum nomine tetragrammato in capitibus geſtârat, privatus, *propter ignominiam ſordis.* propter idolum conflatile, idola enim hæbraicè *gillulim* ſtercora & ſordes appellantur, quæ quisquis colit, ſordidatur & abominabilis Deo angelisq; redditur. tolluntur inaures populo, quia omnes peccatores *vera ornamenta aurium voces Dei amittunt*, inquit Tertullianus & Ambroſius, *quia ſacrilegium audierant, conflatis earum inauribus conflata eſt imago ſacrilegii, ſimiliter & annulis, quia nec fidei ſignaculum habere poterant.* malè audit, qui ſuggeſtionibus dæmonis obaudit, inaures & annulos perdit, qui fidem Deo datam frangit & nutui potius ſathanæ quàm voci divinæ annuit. nudatus ergo probroſè populus, idolum ſibi erigit, de quo pſaltes: *fecerunt vitulum in Oreb, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudi-*

Tertullia. ſcorpiac. c. 3. S. Ambroſius Epiſt. ad Romulum.

nem vituli comedentis fœnum pſ. 105. v. 9. non fecerunt ſibi vitulum arantem, triturantem, plauſtra trahentem, ſed *in ſimilitudinem comedentis fœnum*, ut ab eo comederentur, hi qui fœnum, id eſt caro ſunt: omnis enim caro fœnum, ita Auguſtinus citatus à gloſſa. ô ſtoliditas, ô inſania hominum, qui putant ſe à dæmone aut vitijs emolumenti aliquid relaturos; nihil omnino præter nuditatem cum protoparentibus & viculantibus hebræis referunt, & in eſcam dæmonibus cedunt, devorandi ab hoſtibus ſuis, ſicut à vitulo hebræi depaſti ſunt: *in ſimilitudinem depaſti ſunt fœnum.* obſervandum inſuper eſt vitulum hunc opere fuſorio non ſculptorio fabricatum eſſe, quia ab eo, quod per ſculpturam formatur, aliquid aufertur & remanet, ab eo autem, quod per fuſuram efficitur nihil adimitur, ſed totum infunditur; ſimiliter qui dæmoni ſervit, nihil reliquum habet emolumenti, ſed omnia ſua ſeq; totum prodigit, & in eſcam dæmonis aſſumit. De idololatris decem tribubus ſub nomine Ephraim dicitur Oſeæ 12. *Ephraim paſcit ventum & ſequitur æſtum.* quid eſt aliud ventos paſcere, inquit Auguſtinus, niſi dæmones paſcere? hoc eſt errando ipſis eſſe voluptati atq; deriſui, & quid eſt æſtum ſequi? reſpondet S. Hieronymus: æſtus contrarius eſt floribus & germinantia cuncta diſpergit; æſtum ſequitur qui dæmoni obſequitur, à quo omnes flores honoris & gratiæ, omnia germina virtutum & meritorum diſperguntur, ita ut præter ignominiam, inopiam, nuditatem, abominationem nihil omnino reliquum fiat.

Padile in Habacuc. pag. 178.

S. Auguſt. l. 2. contra Fauſt.

§. 9. *Exprobratio in die noviſſimo.*

Proh quanta erit in die noviſſimo confuſio veſtra ô infeliciſſimi dæmoniorum mancipes, quòd mendaciſſimis, ſtultiſſimis, duriſſimis, crudeliſſimisq; dominis ſervire malueritis, & intolerabile portare jugum, quàm in libertate Filiorum Dei vivere & feſtuculam ſanctæ crucis tollere. Quàm probroſum erit audire Luciferum, coram ſupremo Judice ignaviam veſtram in hæc verba, quæ D. Cyprianus audire ſibi viſus eſt, ſugillantem: *ego pro iſtis, quos mecum vides nec*

S. Cyprianus ferm. 1. de eleemoſy.

alapas

alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, ſed nec regnum cæleſte illis promiſi & munera mihi quàm pretioſa, quàm grandia, quàm nimio labore quæſita comparârunt. Ecce meos Brachmanes, qui omni carnium piſciumq; eſu in mei gratiam perpetuo ſibi interdixerunt; Ecce meos Mexicanos, qui vicina millia cæſorum parvulorum corda mihi quot annis immolârunt; Ecce meos Bonzios, qui cultellis ſe conſcindere, membra adurere, ſanguinem mihi ſuum litare in delicijs habuerunt; ecce meas veſtales, quarum perenne ſtudium mihi corpore intaminato *vigilare, adſervare, ſacrificare.* ecce tuos Chriſtianos, qui juratam tibi fidem ejurârunt, ſuoque animas ſuas ſangvine mihi ſubarrhârunt. ecce tuos catholicos, qui diutiùs in ganeis quàm eccleſijs, libentiùs apud ſuſurrones quàm verbi tui præcones, avidiùs apud vetitas carnes, quàm ad pretioſiſſimam carnem & ſanguinem tuum comparuêre. O non perſtringat nos ſimilis exprobratio, quin tempori abrenuntiemus Sathanæ, & omnibus pompis ejus, excutiamus duriſſimum Belialis jugum, & vincula diſrumpamus. Reſcindamus fœdera omnia & ex hoc momento immortale illi odium & bellum indicamus, aderit militibus ſuis Chriſtus, qui ſolo biverio omnes legiones tartareas abigere nos docuit: Vade Sathana.

PHILIPPICA XIX.
DOMINICA II. QVADRAGES:
Jn Malè transfiguratos.

Transfiguratus eſt ante eos. Matth. 17. v. 2.

NArrat doctiſſimus Salmeron. tract. de infantia Salvatoris, animalculum eſſe, cui carbunculo nomen, eò quòd gem-

§. 1. *Elegans ſententia Iob.*

gemmam ſplendidiſſimam *carbunculum* appellatam ſuâ geſtet in fronte, eâ tamen cautelâ & naturæ ſolertiâ, ut pelliculâ velut palpebrâ contegere theſaurum ſuum poſſit, proq; licitu detegere, ac clariſſimis emiſſæ lucis radijs noctem ipſam in diem commutare. Si ſumma componere licet infimis, carbunculo Chriſtum contulero, dum abſconditos divinitatis ſuæ ſplendores, omnibus illuſtriores carbunculis, in monte Thabor revelavit, quando transfiguratus eſt ante eos. exinanivit ille ſe, cùm formam ſervi accepit, ſed ſpeciem gloriæ in monte Thabor tantiſper reaſſumpſit, ut ſe regem gloriæ & authorem luminis demonſtraret, de quo Job. c. 36. v. 33. vaticinatus eſt: *in manibus abſcondit lucem & præcipit ei, ut rurſus adveniat, annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* lucem in manibus abſconditam habuit Chriſtus, quia cum in poteſtate ejus eſſet, utri luſtris aut obſcurus, in gloria vel ignominia, in ſplendoribus divitiarum aut ſqvalore paupertatis mundum intraret, abſcondit ſplendores & ſqualorem prætulit; nè verò neceſſitate id potiùs, quàm voluntate videretur egiſſe, præcepit luci, ut rurſus adveniens veſtimenta ſuper candorem niveum deargentaret, vultum præ ſole ſplendidum deauraret. quod dum momento citiùs præſtat obſequioſa lux, *annuntiat de ea amico ſuo* Petro, Joanni, Jacobo *quòd poſſeſſio eius ſit & ad eam poſſit aſcendere* & mortales omnes illuſtrare, dummodo lucis eſſe filij ament, & pro Dei placito nunc exinaniri cum Chriſto, ut cum eodem ad æternaturam gloriam transfigurentur. Verùm quæ humanæ indoles eſt malitiæ, non deſiderant mortalium pleriq; eas formas ac figuras, quas illis Servator pijſſimus offert, ſed quas perverſus excogitat genius, ut alij ex alijs quot diebus appareant, & novam non in menſes ſolùm & hebdomadas, ſed dies pœne ac horas celebrent transfigurationem. contra quos malè transfiguratos ſi boni nihil protulero, ſuæ id imputent malitiæ.

Primam

§. 2. *Prima infelix tranſfiguratio in cœlo altera paradiſo.*

Primam malè transfiguratam creaturam cœlum nobis objicit, principem videlicet Angelorum, qui ex Seraphinorum pulcherrimo in turpiſſimum degeneravit monſtrum, rufum draconem, mortiferam beſtiam, horridâ omninò metamorphoſi, quâ tertiam ſtellarum partem pariter involuit, & ex carbunculis cœli in titiones inermes commutavit. his ſuppares ſunt omnes ij, qui ad imaginem & ſimilitudinem DEI creati, ſerpentum & viperarum naturam induunt, ſerpunt in pectore & ventre, qui ſequuntur appetitum iracundiæ, qui in pectore reſidet & luxuriæ, quæ in ventre, *ſerpentes & genimina viperarum* à præcurſore Chriſti & ipſomet ſervatore noſtro compellati Matth. 3. v. 7. & Marc. 23. v. 31. *genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ.* Suſurranti ſerpenti ſimilis eſt, qui proximo ſuo obloquitur, quoniam & audientis animam perdit & ſuam non ſalvat, inquiebat Hyperichius in vitis PP. Viperæ cum vinum ament vinóq; ebriæ capiantur ut docet Ariſtoteles l. 8. animal c. 4. ſymbolum ſunt ebrioſorum; & quia in libidinem effuſæ ut viginti effundant catulos, luxurioſos denotant; tranformantur itaq; in ſerpentes & viperas, qui ſuſurrones agunt & voluptates venereas (venenatas oportebat dicere) ſectantur.

Malè transfiguratus Lucifer, ut caput generis humani perverteret, baſiliſcum induit, ut vult Eugubinus, aut viperam, ut putat Delrio, aut ſcytalen magnitudine & tergi varietate præfulgentem, ut tradit Pererius; vel, ut cum Beda, ſentiunt D. Bonaventura & Dionyſius Carthuſianus: figuram draconis aſſumpſit pedibus inſiſtentis, facie virgineâ, tergo vario inſtar iridis fulgente; quâ ſpecie in admirationem Evam traxit, tum & conſenſum in vetiti fructûs eſum perſvaſit, totamq; poſterorum ſeriem turpiſſimè dementavit. Video, heu video extra paradiſi delicias in terra Hebron exulem Adamum, amictum folijs ficuum, quaſi in ficulneam abiiſſet & pelliceis contectum tunicis, quaſi ex homine in

X feram

feram mutatus esset. Adam ubi es? Adam qualis es? Adam
ubi stola immortalitatis, byssus innocentiæ, paludamentum
gratiæ, cui nullus stellarum splendor, nullus gemmarum ni-
tor, nullus florum & colorum decor, nullus auri fulgor, nul-
lus purpuræ rubor potest supparari? periit hæc vestis & cum
veste felicitas, periit Adamus in Adamo, dum alium à se-
metipso factum se obstupescit, erubescit, ingemiscit. Videt
hodie Adamus progeniem protopatre suo longè vitiosiorem,
quæ non in unam; sed omnium pœne monstrorum turpi-
tudines se transfigurat.. Videt innumeros filios prodigos,
nescio quo Circeo illectos poculo non tantùm convictores
porcorum fieri, sed in porcos mutari, nec resipiscere, dum
orcinis dati in prædam spiritibus in stagnum ignis & sulphu-
ris præcipitentur.

§. 3. *Imago vivida transfigurationis Nabuchodonosor.*

Vix invenio vivaciorem malè transfigurati hominis ima-
ginem, quàm Nabuchodonosorem, quem divina Neme-
sis in bovem mutavit, ut talis appareret exteriùs, qualis
interiùs erat. Vitiata erat in ambitioso Rege phantasia, ut
se bovem esse crederet, nec nisi ea volveret per septennium
animo, quæ bovina sunt; complexio ipsa corporis adeò mu-
tata erat, ut in ferinas tantùm voluptates propenderet, voces
articulatas non emittebat, sed mugiebat ut bos, coniscabat
ut bos manibus pedibusq; reptabat ut bos, herbas vorabat, ut
bos, eratq; deformata facies, prolixus & intonsus crinis, cu-
tis indurata, cætera membra nudus & omnibus cœli injurijs
expositus. hæc est perfecta malè transformati peccatoris i-
dea, ita enim vivit acsi rationem non haberet, quâ noxia ab
utilibus, transitoria ab æternis, turpia ab honestis discer-
nat. Deum non cogitat judicem, infernum non cogitat vin-
dicem periculum animæ, ardorem gehennæ, suppliciorum
æternitatem non recogitat. deinde tam fœdam contrahit
consvetudinem, ut vix aliud delectet quâm peccare, hinc
illud: *nitimur in vetitum* imò & fœtidum. vox illius non

Deum

Deum sonat, quo cor caret, sed de cordis plenitudine ambi-
tiosus de honoribus, avarus de pecunijs, iracundus de armis,
luxuriosus de Venere, Galatea, cupidine, bibulus de calici-
bus loquitur: *vox sua quemq; sonat.* Non sapit Eucharistia,
non verbum Dei, palato enim penitus destructo belluinum
animum rebus vilissimis pascit; nummorum tinnitus, vini
in vitro splendor, in colloquijs spurcities, detractio, men-
dacium primis sunt in delicijs. Verbo: adeo durus est ad
omnia pia monita, ut nec taurus æthiopicus (quem Plinius
l. 8. c. 21. ait non sentire ictus silicum, nec ullum recipere
vulnus) durior esse possit. Non capiuntur tauri æthiopici
nisi prolapsi in grandem foveam, ita non resipiscunt eius-
modi ferini homines, nisi in fovea sepulchri; ubi tam vix
vera quia sera pœnitentia agitur, quin potius ob nefandas
suas formas in informia monstra vindice Deo transforman-
tur. Narrat Baronius ad annum Christi 1054. ex B. Petro
Damiano Benedictum IX. Antipapam visum esse in specie
ursi asininas aures & caudam habentis, ac dixisse Viatori Va-
clo, cui apparuerat: Noli expavescere, homo fui, qualis tu
es, sed quia bestialiter vixi, hanc speciem, post finem vitæ
merui. ego solo nomine Benedictus fui, Apostolicam sedem
invasi & nunc ad usq; diem judicij per loca dumosa & sul-
phurea raptor, post diem judicij cum corpore & anima arde-
bo sine spe, sine solatio, sine remedio. dixit & videri desijt.

§. 4. *Varia bestiarum forma in inferno.*

Miris ac diris infernus plenus est monstrorum figuris,
ita ut nonnulli grunniant ut sues, teste eremicolâ apud Sta-
niburstum de novissimis, alij barriant ut elephantes, rugiant
ut leones &c. prout unusquisque in vita se gessit, eam be-
stiæ figuram in inferno sustinebit. Certè si propter culpas
non graves, nec proprias nonnulli in bestiarum formas mu-
tati sunt in hac vita, quid fiet in altera? De S. Hilarione
scribit D. Hieronymus in vita c. 3. quod Hilarion adhuc a-
dolescentulus ob exiguam in precibus distractionem dæmo-

ni permiſſus ſit, ut in dorſum ejus velut in equum inſilierit, latera calcibus, cervicem flagello verberârit; quid fiet miſeris peccatoribus propter beſtialia ſcelera, quibus ſe contaminare non ceſſant? Præſtigiatrice veneficorum arte homines in belluas apparenter efformari teſtis oculatus Auguſtinus l. 18. c. 18. affirmat; at non eſt præſtigijs opus, peccandi ſola voluntas has metamorphoſes procreat: Begburgi (teſte Delrio l. 2. diſq. mag. q. 18) ſupplicio eſt affectus quidam Petrus Stumſius, qui ubi à dæmone latâ quadam Zonâ cinctus fuerat & ſibi & alijs lupus apparebat, quâ ſub ſpecie quindecem pueros jugulavit, eorumq; cerebrum abligurivit. multùm hi quidem nocent Lycanthropi, ſed magis illi de quibus S. Ambroſius l. 6 Hexamer, c. 8. ſunt animi beſtiales, ſunt feræ formâ hominum indutæ, de quibus dicit dominus, veniunt ad vos in veſtimentis ovium &c. quàm blandus & humanis Joab in Amaſam 2. Reg. 20 ſed noli credere, fera bellua eſt. quot alij alunt ſub pectore vulpem! Sanctos Patricios optarem, qui ejusmodi Vereticos (Waliæ is rex fuerat, verſipellis & ſeipſo in dies deterior. nec ullâ emendabilis arte) novos plecterent pro merito & abire compellerent in vulpes. *Verè monſtroſa res eſt*, inquit Hieronymus ep. 53. *ſpeciem habère columbinam & mentem caninam, profeſſionem ovinam & intentionem lupinam, intus eſſe Neronem & foris apparere Catonem, ita ut eorum contrarijs diverſisq; naturis novam beſtiam diceres eſſe compactam.*

Lepidum Apologum narrat Gregorius Turonenſis l. 2. de fele cujusdam Sutoris, quæ unum tantùm maſculum quotidie capiebat, fortuitò autem in atramentum lapſa & è candida nigra effecta putabatur à muribus monaſticum habitum induiſſe, & carnes ampliùs non comeſtura, ſed ſtragem paſſi mures mirati ſunt, quòd colorem non animum mutârit. *Vidi ego quoſdam*, ait purpuratus dalmata, *qui poſtquam renunciavere ſæculo, veſtimentis duntaxat & vocis profeſſione, non rebus nihil de priſtina converſatione mutârunt.* O Metamorphoſin noxiam! O transfigurationem ſceleſtam.

Hier. epiſt. ad Ruſtic.

Vocat ejusmodi malè transfiguratos D. Auguſtinus: *ſimulatores aliarum perſonarum.* Magnus Baſilius verò: *hiſtriones diaboli*, qui in proſcenio hujus vitæ mores ſuos ad oſtentationem componunt, at nonniſi in tragœdia finiunt. talis hiſtrio fuit religioſus ille Antonius Picenus, teſte Ænea Sylvio, qui quadraginta diebus ſe ſimulabat jejunare, & putabant omnes, quòd angeli exacto jejunio cœlitus eidem miniſtrarent: cum interim cereus ex contuſis pectuſculis perdicum, phaſianorum, caponum, & cingulum craſſum aromatis fartum hypocrytam ſuſtentarent, ſed in fine denudatio operũ, quando inter horrendas blaſphemias in Deum & Deiparam egit animam. talis ille monachus (teſte Gregorio l. 4. dialog. c. 38.) magnæ æſtimationis inter ſuos, qui tandem in morte ſe draconi in eſcam datum illiusq; caudâ, genua & pedes ſuos colligari, rictu verò draconis animam ſuam ebibi extrahiq; coram fratribus proclamavit.

§. 5. Tria tragica malè transformatorum exempla.

Recentius & horribilius eſt, quod nuper in Hiſpanijs accidit: Concionator magni nominis non virtutis, feminam formâ æquè ac famâ excellentem deperibat, ſed illa fortiùs reſtitit, quàm poſſet oppugnari; admonetur maritus, qui ſtratagemate uſus, jubet nefario mœcho per uxorem tempus condici, ipſe in propinquo cum milite præſtolari ſtatuit. adeſt adulter in ſæculari veſte & vim mulieri parat. renititur femina, clamat; ſed ſurdis, ergo ungves & dentes in arma convocat, vires furor an virtus miniſtrat. inter luctandum ſenſit Heroina pugionem lateri ſacrilegi ſacerdotis adhærere, quem mox ſtringit & in pectus nefarium validè adigit. quo patrato facinore curriculo ſe ad proximum conclave proripit, ubi maritum & famulos nequidquam inclamitans, vellicat, trudit, pungit, ſed mortuis reperit ſimiles. ſuſpicata, quod erat, maleficium ſubeſſe, ipſa cadaver ſuis humeris

Delrio diſquiſit magic. l. 3. p. 1. q. 2.

effert. & in plateam cum pugione etiamnum cruento abjicit. quod compertum & sub sæculari habitu concionator agnitus, jussu prætoris in carcere asservatur. prætor verò summo manè cœnobium adit, evocat Præsidem, atq; unà omnes religiosos acciri optat de re maximi momenti, quæ omnes concerneret, acturus: adsunt in capituli loco. at prætor: videri sibi agit aliquem deesse, advertit superior concionatorem & excusat. quòd fortè instanti concioni incumbat; nihilominùs volente prætore advocatur, sed missi referunt se strenuè cubiculi fores pulsâsse, neminem aperire, neminem respondere. Superior ergo prætore comitante vi fores effringit & nihil præter facem ardentem & obscurùm lucentem reperit in camino. hic quæ gesta enarrat prætor & cadaver è carcere ad profanam sepulturam extrahi mandat, atq; dum hoc ignominiosè extrahitur, ecce tibi nobilis illæ tragœdiæ omnem seriem enarrat. poterat infelici Cœnobitæ pro epitaphio illud Cypriani apponi: *extincto spiritu quatriduano cadaveri solum supersunt exuviæ virtutis, species examinis, & simulacrum sanctitatis.* At nos D. Ambrosium adhortantem sequamur: *quod sumus professione; actione potiùs quàm nomine demonstremus: nè sit nomen inane, crimen immane, nè sit honor sublimis & vita deformis, nè sit deifica professio & illicita actio, nè locutionem simulemus columbinam & mentem habeamus caninam.*

S. Ambr: l. de dignitat sacerd. c. 3.

§. 6. Malitia humana diras metamorphoses facit.

Scio corruptæ imaginationis vitio miras sibi formas fingere homines. fuit qui nasum sibi majorem credebat esse, quàm ut per quamcunq; domûs & urbis portam egredi posset, nec curari aliter potuit, quàm longo farcimine naribus admoto paulatimq; ad extimam nasi partem abscisso, quâ etiam rasâ, ut sanguis proflueret, imaginarius tandem nasus avulsus est. fuit nuper inquit ex Levino Lemnio Cornelius, qui se mortuum dicebat, adeòq; in septimum usq; diem inediam protrahebat, cui persanando personati linteis obvoluti quasi mortui conclave ingressi sunt, mensâq; instructâ liberaliter se re-

se reficere cœperunt. quærit æger, qui sint? quid moliantur? respondet se mortuos esse ac comedere debere. ergòne reponit æger mortui comedunt? illi: cur non ederemus? veni, vide, gusta. exilit lecto phantasta & commentitijs mortuis convescitur, liquamen medicum absumit, ex quo somnus & sanitas venit. Alius gesticulationes amentium tamdiu æmulatus est, donec revera in amentiam incidisset. Hæc phantasiæ suut ludibria, atq; phantasia corruptior esse potest, quàm momentaneas & fictitias voluptates æternis delicijs præferre? umbram honoris præ vera gloria affectari? sensum rationi utiq; anteponere, verbo: comparari jumentis insipientibus & similem fieri illis. multi nasones, quanti quanti sunt, merus sunt nasus. Fabula Poëtarum est Gygen & Minotaurum partim homines partim boves fuisse. *Semibovemq; virum, semivirumq; bovem.* l. 4. trist. eleg. 6. multi semiboves, imò ex hominibus toti boves sinè sensu, sinè conscientia, de quibus dici potest, quod de Nabuchodonosore D. Gregorius moral. c. 6. scripsit. *quia se super homines extulit, ipsum, quem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit.* Misera sanè & extremæ plena clementiæ commutatio, humanum declinare laborem & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum, inquit S. Bernardus in declamat.

§. 7. Reformationis nostræ prototypon Christus.

At attendite malitiosissimi peccatores, qui culpâ & insaniâ vestrâ, ultrò bestiarum migratis in formas, quid dicet ad hæc Pater, qui ad imaginem & similitudinem suam vos condidit? quid Filius, qui pro vobis in similitudinem hominũ factus inter bovem & Asinum Bethleemi jacuit, inter feras in deserto à 7. Janua. ad 15. Februarij mansit, inter duos latrones, quasi singulares feros pependit, à vitulis multis circumdatus, à tauris pinguibus obsessus, à canibus rabidis allatratus & mortiferè morsus, à leonibus rugientibus præparatis ad escam raptatus, à cornibus unicornium transfossus, toleravit hæc volenter & libenter omnia, nè vos vitulari cum

Hebræo

Hebræo populo, ferocire cum Nabuchodonoſore, rabiem caninam exerere cum Semei, quaſi leo in domo turbare domeſticos, cum unicorni omnes impetere velitis, quin potiùs in authorem reformatoremq́; imaginis noſtræ reſpicite, qui pro nobis non tantùm homines fieri, ſed digito à Pilato oſtendi & dicier: *ecce homo* dignatus eſt, cujus ad exemplum mores veſtros & amores componite, ut ſimiles hominibus & nô jumentis inſipientibus comparati videamini. Quin potiùs transfiguretur unusquisq́; cum Chriſto, & veſte lucis induatur, quæ eſt animæ per ſacramentum pœnitentiæ juſtificatio, aſſumat vultum ſolis per conformitatem voluntatis propriæ cum divina, ut vultus in diverſa ampliùs non mutentur, intret in nubem ſpecierum Euchariſticarum, adhibeat pro tribus Apoſtolis tres virtutes Theologicas, pro geminis prophetis manſvetudinem in injurijs proprijs: Zelum in injurijs Deo illatis, ut hac ratione è vultu & veſtibus agnoſcatur ſolis æmulus, cælorum candidatus, filius dilectus, in quo ſibi Pater complaceat.

PHILIPPICA XX.

In obſeſſos dæmonio muto, ſive pœnitentes ſacrilegos.

DOMINICA III. QVADRAGES:

Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum.
Lucæ 11. v. 15.

§. 1. *Ingens pudor eſt ſacrilegum non ſuperare pudorem.*

SI unquam lingvas mihi centum, oraq́, centum optavi, hodiernâ imprecor die, cùm contra dæmonia muta agendum eſt. adeſte energumeni, ſtate, audite, reſpondete, cur

ſcelera veſtra ſacrilego involvitis ſilentio, quæ inceſſanter contra vos ipſos clamant, accuſant, laniant, & parturientium, ut ait Oſeas c. 13. v. 13. pariunt in anima dolores? cur muto locum datis dæmonio, reſiſtitis autem ſpiritui Sancto, cui nonniſi ſincerâ & integrâ confeſſione templum cordis veſtri aperiri poteſt & conſecrari? cur quod creditis *in die agnitionis* toti propalandum eſſe mundo, uni pudet pandere ſacerdoti non in confuſionem, ſed ſalutem & pacem, & gaudium, & gloriam veſtram; nihil enim glorioſius homini, quàm dare gloriam Deo, & ſua confiteri peccata, juxta illud Joſue ad Achan. *fili mi da gloriam Domino Deo Iſraël & confitere atq́; indica mihi, quid feceris, nè abſcondas.* Joſ. 7. v. 19. nè abſcondite ô peccatores, ſed indicate Dei vicario, quid feceritis, ut detis gloriam Deo Iſraël, gaudium ſpiritui ſancto, vobis ipſis quietem, & ſecuritatem. non eſt pudor confiteri pudenda ſcelera, ſed pudor immaniſſimus eſt ab inordinato vinci pudore, tacere, negare, colorare in dæmonij muti gratiam ea crimina, quæ in Dei & angelorum oculis luce meridianâ ſunt clariora, & in oculis ſolis hujus, in conſpectu omnis Iſraël aliquando propalanda, Eijce ô potentiſſime Ieſu in digito Dei nefandum hunc pudorem, nè æternùm auditorum meorum quenquam pudeat, ſacrilegè pudentem fuiſſe.

§. 2. *Difficulter mutus peccator convertitur. cuius figura Lazarus eſt quatriduanus.*

Proh quàm difficile eſt latitans in pectore ſcelus extrahere, & velut quatriduanum de ſepulchro fœtido Lazarum in lucem gratiæ producere. Cùm ſuſcitaturus eſſet Jeſus Lazarum, tot ceremonijs uti placuit, quot in omnibus retrò miraculis uſus eſt nunquam: *infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſũ.* Joann. 11. v. 33. non conditionis neceſſitate, inquit Bernardus, ſed ſuæ beneplacito voluntatis. *fremit vita* (verba Chryſologi) *ut mors fugetur. fremit Deus, ut reſurgat homo: fremit Chriſtus debellans mortem, quia non poteſt non fremere, qui ſingularem de hoſte rapit victoriam.* Non fremit, cùm filiam Archiſynagogi,

S Bernardus ſerm. 2. de S. Andrea
S. Chryſolog. ſerm. 65.

aut filium viduæ Naimiticæ ſuſcitat, ſed cùm Lazarum, quia hic imago muti eſt peccatoris, qui in ſepulchro ſacrilegi ſilentij, ligatus pudoris inſani inſtitis, lapide ad oſtium admoto putreſcere, & verminare mavult, quàm aperire Sacerdoti conſcientiam, & reſpirare ad vitam; ſingularis de hoſte victoria eſt dæmonium mutum expellere, ideóq; fremitu digna. *infremuit, & turbavit ſe ipſum*, totâ ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat, inquit Ravennatium archipræſul; imò ſe conturbat, quia vix de millibus unum peccatorem mutum novit reſuſcitandum, atq; ex ipſo hoc reſuſcitationis defectu paucos in die noviſſimo ad beatam immortalitatem reſurrecturos. nec tantùm turbavit ſeipſum, ſed & *lachrimatus eſt IESVS* v. 35. cur lachrimatus? quòd revocare illum oportebat ad tolerandas rurſus vitæ miſerias, inquit Rupertus; melius Ambroſius: *flevit, ut prius lachrimis ſua delicta lavaret mortui*, cui D. Epiphanius conſonat: *lachrimatus eſt ob hominum obſtinatam duritiem.* ante oculos bonus IESVS ſibi tunc habuit omnes mutos peccatores, quorum duritiem ſenſit, ut non pauciores ſuper unum talem Lazarum effuderit lachrimas, quàm ſuper totam civitatem Ieruſalem. ô ſi hæ lachrymæ corda, & ora veſtra emolliant, ut ſolutis ſacrilegæ lingvæ vinculis detis gloriam Deo. at ecce fructum lachrimarum Ieſu, emolliit ijs lapidem, quem tolli jubet: *tollite lapidem*, hic eſt lapis offenſionis, & petra ſcandali, ipſum videlicet obſtinatum ſilentium, quo clauduntur á dæmonibus ora, nè de ſepulchris ſcelerum Lazari prodeant. grues nè garrulitate ſuâ aqvilas provocent, lapillos roſtris imponunt, cùm mare tranſvolant; feralem dæmon lapidem peccatoribus imponit, cùm mare pœnitentiæ tranſeundum eſt, nè exaudiri ad ſalutem, & in prædam cedere poſſint Salvatori. Cives Ephronitæ, nè Judæ Machabæo in terram Juda tranſituro civitatis portæ paterent lapidibus eas obſtruxerunt,

S. Chryſolog. ſerm. 64.

Rubert. l. 10. in Ioan. S. Ambroſ. l. de Ioſepho c. 10. S. Epipha. in Ancorato.

nec removere eoſdem toties moniti voluêre. expugnavit proinde urbem Judas, & vindice ferro mares omnes interemit 1. *Machab.* 5. tranſire per os noſtrum in regnum ſuum, cor inquam, optimus Ieſus deſiderat, verùm hanc portam in exitium ſuum obſtruunt muti peccatores, de quibus Michæas c. 7. v. 16. *ponent manum ſuam ſuper os, aures eorum ſurdæ.* (vel dicamus per Judam intelligi confeſſionem, per ephrõ peccatorem, qui pulvis, & cinis eſt) Juda enim *confeſſio*, Ephrõ *cinis* latinè transfertur) recuſat cinis ſuam detegere fragilitatem & miſeriam, negat Ephron Judæ, effrons peccator confeſſioni tranſitum & lapidum amolitionem? at væ refractarijs, nî lapide qvovis remoto os, & cor repandant! pandent enim inviti, cùm orbe palam revelabuntur eorundem flagitia, propriâq; ſeſe ipſos confeſſione conficient: *erravimus nos inſenſati.* Ah! jube me ocyus, aj bone Ieſu tolli lapidem, ut Lazarus prodeat, & vivat: *ait Ieſus tollite lapidem* v. 39. [Po]terat Salvator tacitâ vi operationis occultæ transferre, inquit Ambroſius, ſed hominibus juſſit, ut removerent lapidem in typo, quòd nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, moles quaſdam rerum. noſtrum eſt onera removere, hæc Ambroſius. Non facit abſq; neceſſitate Dominus prodigium, nec lapidem ipſe removet, ſed ut removeatur jubet, quia licèt perfectam omnium ſcelerum habeat notitiam, non tamen ea dimittit, niſi ſacerdoti univerſa detegamus, & ſilentij lapidem tollamus. *noſtrum eſt onera removere*, prudentiq; ratiocinatione convincere nosmetipſos ad hunc offenſionis lapidem amoliendum. Tollite ergo lapidem peccatores, & vocem evocantis Verbi percipite: *voce magnâ clamavit: Lazare veni foras* v. 43. valido clamore prævenientis gratiæ, & præpotenti auxilio omnipotentis miſericordiæ opus eſt, ut mutum peccatorem revoces ad ſalutem. Lazaro dicitur, inquit diviniſſimè Gregorius homil. 26. in Evang. *Lazaro dicitur veni foras; ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur; cur rea-*

S. Ambroſius l. 2. de pœnit. c. 7.

*tum tuum intra conscientiam abscondis? foras iam per confessionem e-
gredere, quia apud te interiùs per negationem lates. veniat itaq; foras
mortuus, id est culpam confiteatur peccator.* Consonat Gregorio
Ambrosius l. 2. de pœnit. *veni foras hoc est, qui iaces in tenebris
conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, exi foras; delictum propri-
um prode, ut iustificeris.* Non prosequar cætera resuscitati La-
zari mysteria, id unicè observari pervelim, insolentes hosce
fremitus & viscerum motus, & oculorum imbres, & oris
tonitrua idcirco à Salvatore adhibita, ut doceret miraculo-
rum esse miraculum peccatoris muti animationem seriam
ad sinceram scelerum confessionem. Narrat Baronius tomo
12. sacerdotem concubinarium ad velandam neqvitiam su-
am creberrimè pœnitentiæ adijsse tribunal, sed muto sem-
per comite dæmonio; amicitiam insuper intimam cùm Re-
ligiosis Bonævallis iniisse, ut videretur inter bonos non ma-
lus esse; qui erat inter Angelos diabolus. Patuit paulò post
in fatali ægritudine sacrilegi perversitas; mediâ enim nocte
horrendum exclamavit, & prioris è monasterio Bonæval-
lensi opem inclamavit. *succurre! Pater succurre!* ecce Leones
terribiles in me irruunt, proh quales rictus, quales dentes,
quales oculi, quales flammæ! ora pater pro me miserrimo,
ah ora! oravit sacerdos, evanuêre bestiæ, redijt ad se æger,
nec tamen ad exomologesin induci potuit. Quare horribi-
liùs ac antea exclamavit: heu ignis! qualis de cœlo in me
ignis ruit, circumdor flammis! ah juva Pater! juvit religio-
sissimus sacerdos, nec tamen impetrare ab ægro potuit, ut ab
hoc illuminatus igne periculum salutis agnosceret, aut ad se-
rium dolorem ab his flammis liquefieret. Induratus ergo in
scelere tertium exclamat: jam rapior ad judicium! eheu per-
rii! damnatus sum! videtis sartaginem igneam? in qua fri-
gendus sum? videtis truculentos dæmones, quorum pote-
stati traditus sum? jam linteamina arripiunt, jam abri-
pior! dixit vixitq; sinè ullo pœnitudinis sensu, quidquid de

immensa DEI clementia, de infiniti valoris meritis, sangui-
ne, lachrymis, sudoribus Iesu Christi ingereret sacerdos. usq;
adeo durum est peccatorem à muto eliberare dæmonio, La-
zarum fœtidum educere sepulchro, pudorem sceleratum
tollere vel à moribundo.

§. 3. *Super mutum peccatorem puteus claudit os suum.*

A reprobo hoc pudore ac silentio præservari cupiens
Psaltes ita Deum orat. *non me demergat tempestas aquæ, neq; ur-
geat super me puteus os suum; neq; absorbeat me profundum.* ps. 6
8. v. 16. multa in brevi suspirio mysteria, quæ ut assequa-
mur, fingamus in puteum aut flumen profundum è nobis a-
liquem cecidisse, qui quàmdiu os, & fauces supra aquam ex-
tollit, spem habet vitæ, quia respirare potest, & o-
pem urinatorum inclamare. quòd si ore & capite infra aquas
descendat, spes una in puteum, vita verò in liquidum ceci-
dit sepulchrum. nè absorbeat me profundum, nè urgeat su-
per me puteus os suum claudendo os meum, ut de vita ac
salute conclametur. Præclarè Augustinus in hunc psalmum:
magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ, illuc qui
ceciderit in altum cadit, sed tamen ibi positus si confiteatur
peccata sua, non super eum claudit puteus os suum. si ve-
niat in profundum & contemnat, clausit os suum? quia per-
didit confessionem; verè mortuus est, quà eruatur non ha-
bet. Metuenda ista res est vehementer. hucusq; Augustinus.
Metuenda erubescentia, quæ nos in rubri maris, sive no-
xij pudoris profundo suffocat, & in abyssum amaritudinum
præcipitat.

§. 4. *Simulatores callidi, sive pœnitentes sacrilegi iram Dei provocat.*

Meretur quidem peccator eo ipso, quo sciens volens le-
gem divinam transgressus est, momento demergi in suppli-
ciorum profundum, sed dissimulat divina misericordia, ex-
pectat, invitat, stimulat ad peccatorum confessionem, quam
si nolit præpostero pudore victus peragere peccator, imò sa-
crilego silentio pudenda scelera involat, tum demum Amor
in furorem, clementia in rigorem, veritas in severitatem

convertitur, & iniquitas ad odium invenitur. Quoniam doloſè egit in conſpectu ejus ad odium pſ. 32. v. 2. *doloſè agit*, inquit Hugo, *qui peccatum ſuum defendit, vel conſcientiam ſuam negligenter inquirit*, vel quod graviſſimum eſt, pertinaciter negat & pernegat, quæ doloſa iniquitas invenitur ad vindictam ſempiternam. *hæc eſt via præcipua interitûs*, inquit de ſacrilego ſilenrio D. Joannes Chryſoſtomus, *malum eſt quidem peccare, hoc peius negare; poſtquam peccaveris*; non ita peccatum, quantumcunq; enorme ſit, iram divinam provocat & accelerat, ſicut peccati coram tribunali pœnitentiæ callida ſimulatio. ex Jobo id diſcamus: *ſimulatores & callidi provocant iram Dei, nec clamabunt cùm vincti fuerint* Job. 36. v. 13. in quæ verba elegantiſſimè ſcripſit D. Gregorius L 26. moral. c. 28. vincti tanto clamamus altiùs, quantò in percuſſione poſiti peccata noſtra veraciùs confitemur; apud aures quippe Dei vox valida, devota confeſſio noſtra eſt. Quia ergo ſimulatores quamvis duci ſe ad æterna ſupplicia non ignorent, confeſſionem puram exercere negligunt, quaſi vincti clamare contemnunt, ideoq; iram Dei provocant, & æternam ſibi ignominiam accerſunt.

§. 5. *Exempla duo horrida.* Non poſſunt impunita manere ſacrilegia, quæ ceteris peccatis graviùs Deus odit. Sex viros vidit Ezechiel ſtantes juxta altare ſtrictis armatos gladijs in ultionem peccatorum. cur juxta altare conſiſtant, cauſam reddidit D. Hieronymus in c. 9. v. 2. Ezech. *juxta altare ſtare dicuntur, parati ad iubentis imperium, ut cuiuscunq; viderint ibi non eſſe peccata dimiſſa, ſententiæ domini & interfectioni ſubiacere cognoſcant.* non ſunt dimiſſa, ſed potiùs aucta ſcelera ſacrilegè confeſſorum, ideoq; ſententiæ ſubjacent, & ſupplicio multiplici, quod pſ 68. conſignatũ legimus: *deleantur de libro viventium, & cum iuſtis non ſcribantur, fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum. effunde ſuper eos iram tuam, furor iræ tuæ comprehendat eos.* En, ut effundatur ira in ſacrilegos & comprehendat eos repentinus

pentinus

pentinus Domini furor. Fuit obſtinax peccator, mori potiùs, quàm confiteri paratus, quem Apoſtolicus quiſpiam Zelotes ſolum convenit, in genua ſua procubuit, crucifixi ſimulachrum è ſinu protulit, exclamavit: ego Illuſtriſſimam Dominationem veſtram per univerſorum Dominum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, per cruenta illius vulnera, per ſangvinem pretioſum, per mortem ignominioſam, per copioſam redemptionem obteſtor, & adjuro, convertatur aliquando ad Dominum Deum ſuum, & confeſſione ſeriâ ſecretos expiet nævos, quia tempus fortaſſe per brevi non erit ampliùs, vibravit enim gladium altiſſimus, arcum ſuum tetendit, & in eo paravit vaſa mortis. at ſurdo fabula inter dies paucos repentino oppreſſus morbo ille Illuſtriſſimus abſq; ullo pœnitentiæ ſigno animam egit. monitor defuncti animam coram eodem crucifixo quantis potuit precibus ac ſuſpirijs commendavit; ſed ecce defuncti anima igneis ligata catenis in ardenti balneo & flammeo fluvio comparuit; contra quam inſuper ex aperto crucifixi latere non ſangvis & aqua ut olim, ſed rivus igneus erupit; crucifixus verò inter crepitantes flammas, & deſperantis animæ ejulatus ita locutus eſt: nonne ſilvi, & tacui, nonne diſſimulavi? & projeciſti omnes ſermones meos nunc autem ſicut parturiens loquar, diſſipabo & abſorbebo ſimul. diſcede maledicta anima in ignem æternum vix iſta crucifixus ore protulerat, cùm vulnus lateris fluvium igneum in peccatricem animam evomuit, & tam profundè immerſit in flammas, ut videri ampliùs non potuerit. an non hoc eſt effundere iram, & comprehendere peccatricem animam in furore? diſſimulat Deus, tacet Ieſus, cùm obduratus peccator ſacrilego peccata graviora ſilentio involvit, at voce tandem parturientium loquitur, & ſcelerum partus in lucem producit, productos diſſipat, diſſipatos abſorbet, & ſubmergit. Viro feminam jungo, cum hoc hominum genus ſacrilego

lego

lego pudori sit maximè obnoxium. Episcopum nescio quem narrat Cardinalis Bellarminus vitæ integerrimæ præsulem consensisse, ut cadaver feminæ omnium opinione sanctæ in suo tumularetur sacello. postridie funeris ingressus sacellum Episcopus vidit tumulum apertum, ex quo flammæ sulphureæ erumpebant, corpus verò prunis super impositum assabatur. adjuravit defunctam in nomine IESU Nazareni Crucifixi Episcopus, diceret qua de causa ita torqveretur? cui mulier: æternùm damnata sum! aspexi olim aliquos non castis oculis, quod peccatum quia confiteri semper erubui, projecta à facie justi judicis, sempiternis cruciatibus sum addicta. ita propalantur scelera post mortem, quæ multi peccatores aperire noluerunt in vita, confunduntur coram orbe toto, qui coram sacerdote uno salubriter erubescere noluerunt, aperiuntur sepulchra mortuorum, quia monumenta non aperuerant conscientiarum.

§. 6. *Malè confitentium figura uxor Ieroboami.*

Absterret callidos simulatores subrusticus pudor, & odii fortasse incurrendi apud Sacerdotem timor? at pudorem & odium tacendo potiùs incurrunt, quàm confitendo. movet enim Confessarij animum Deus, in cuius manu non regum duntaxat, sed & confessariorum corda sunt, ut præsago subodoretur animo occultata pœnitentis scelera, & divino quodam odio callidam simulationem detestari, ac duro confingere nuntio cogatur. Figura non inelegans in idolomanica

3. Reg 14. v. 4.

Jeroboami uxore legitur,, quæ de regij filioli sui graviter ægrotantis valetudine solicita vatidicum ab Ahia propheta rescire avebat responsum, & quia Ahiam ex senio caligare noverat, libentiùs hunc præ alio positis regijs vestibus adiit, atq; an moriturus esset parvulus, percontata est. ô quot hæc femina similes sibi hodieq; invenit, quæ confessarium potiùs cæcum, & surdum, & vernaculæ non optimè peritum, quàm doctum, & probum adeunt, & in incognito irrepunt, ut de animæ suæ salute sciscitentur. Sed propheta ocularior

mente, quàm corpore simulatricem mox agnovit, & nè salutanti reponere gratias cogeretur, prævenit salutatione, ingratumq; prior dixit *Ave: ingredere uxor Ieroboam quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.* simulent se dolosi peccatores & peccatrices quantum velint, est qui corda & renes scrutetur Deus, ejusdemq; scrutinij particulam vicario suo sacerdori indulgeat, ut si ore indulgeat, ut si ore non dicat, corde tamen gemat: quare aliam te esse simulas? cur simulas continentem, cui adulteria sunt pro jocis? cur devotam, cui blasphemiæ pro proverbijs? cur Angelis familiarem, cujus sanguis juratum dæmoni clamat mancipatum? cur aliam te simulas? ego autem durus cogor esse nuntius; quia pœnitentia tua tibi erit in pœnam, confessio tua in odium & iram, absolutio mea in graviorem damnationem. Exclama hic ô Chrysostome: *ah! quid decipitis vosmetipsos insensati?* S. Chrysost. in c. 37. Genes.

§. 7. *Contra sacrilegum elementa conclamāt*

Applaudunt quidem silentio huic vestro dæmones, at aversantur Angeli custodes, detestantur omnes cælites, creaturæ verò sublunares judicium in vos, & justitiam conclamant. Clamat terra: cur immani rictu mutum nebulonem non absorbeo, ut vivus sepeliatur in inferno? clamat aqua: cur mutum piscem non immergo, & piscibus omnibus objicio in offam? clamat aër: cur pestem in os sacrilegum non inhalo, ut virus occultum ignito carbunculo propalam signetur? clamat ignis: cur fulmina & sulphureos in caput impij non ejaculor ignes, & nefandam non exuro cum labijs linguam, quæ resolvi in confessionem scelerum recusat? clamat cœlum: vidi ego, quod celat scelus, & inultum patior? clamat infernus: meus est, qui muto dæmonio obsessus est, hic pone Cainum, Judam, Caipham locus illius & focus est, devolvatur quantocyus, ut quid frustra superficiem terræ calcat? ità clamant elementa, conclamant cœlum & terra adversùs te sacrilege peccator & vindictam urgent,

quam certè extorquerent, nisi benignissimus Iesus pœnitentiæ spatium indulgeret, & definito ante sæcula tempore expectaret, ut cor tuum velut aquam effundas, suspiria velut ignes in cœlum ejaculeris, secreta cordis velut hiatum abyssi repandas, & quasi terræ motu seriæ pœnitudinis concussus è centro microcosmi tui omnia scelera non in auras, sed aures sacerdotis eijcias.

§ 8. *Affectus.* Mirum est, inquit Bonaventura, quomodo talis nimio timore non continuo tremat; sicut tremit folium in arbore, cùm â magno vento movetur; sicut tremit tellus, cùm ab intestino ventorum tumultu & impatiente carceris aëre exagitatur. Contremuit terra, cùm IESVS in cruce expiravit, & velum templi scissum est, & monumenta aperta sunt, quia videlicet potissimus passionis Dominicæ fructus est, velum præposteri pudoris in templo còrdis disrumpi, conscientiarum sepulchra repandi & longo sepulta scelera silentio in lucem veritatis & gratiæ protrahi *stemus simul*, clamat expirans Iesus, *quis est adversarius meus? accedat*, accedat filius (*Isai. 50. v. 8.*) prodigus ad osculum & corde contrito dicat: peccavi in cælum quod video obtenebrari, & in te quem propter me video expirare! accedat ad pronas Christi aures, in quas pro ultimo morientis solatio insusurret occultatum tot annis peccatum. accedat inquit Stephanus Cantuariensis, qui peccat, & videat propter se mulctatum morte, turpatum in cruce, sputis illitum, plagis lividum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse adversarius erubescat; erubescat ob sacrilegam tot peccatorum reticentiam, ob præposteram suam erubescentiam, ob tantam sacramento pœnitentiæ irreverentiam illatam. nudum in cruce Iesum peccator inspiciat & denudare illius amore animam suam non erubescat; perfossum latus aspiciat, & aperire cordis sui latebras tandem aliquando audeat. Divæ Lutgardi sistens se vulnerato corpore Christus dixit: *vides mea Lutgardis, ut vulnera mea clament*

ad te, nè frustra fuderim sangvinem, mortemq; sustinuerim. Clamant ad te mute peccator Iesu vulnera, clamant lachrymæ, clamat agonalis sudor, clamat ex ore, oculis, fronte, & corpore toto procurrens sanguis, ut oculos & os tandem aperias, scelus occultum explices, nec frustra ignominiosissimam mortem obiisse Christum patiaris. ô sacrilege ego te per caput Christi tui spinis coronatum, quod Patrem cœlestem, ut loquitur Laurentius Justinianus, liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam; per caput inquam spinis coronatum & ad veniam tibi dandam inclinatum obsecro ne obtestor, annue precibus & lachrymis meis, atq; de integra exomologesi cogita. liquefaciant oculos tuos ad sinceram lachrymulam lachrimæ Christi, resolvant labia tua ad confessionem integram hiantia labia demortui Christi, vulnerent cor tuum vulnera Christi! ô vulnera! quæ corda saxea vulneratis, & mentes congelatas inflammatis, quæ pectora adamantina liquefacitis, vulnerate, inflammate, liquefacite saxea corda & ora gelata, ut fiat mox syncera confessio, ex confessione Angelis gaudium, dæmoni muto opprobrium, Trinitati gloria, & benedictio.

PHILIPPICA XXI.

In MARIÆ mastiges.

DOMINICA Eâdem.

Beatus Venter qui te portavit, & ubera, quæ suxisti.

Lucæ 11. v. 17.

BLasphemant Pharisæi Dominum, tacent discipuli, liberatus à dæmonio, obmutescit, & heus! una vocem extollit mulier ad laudes Christi evulgandas. Sicut laudes Davidis

§. 1. In Virorum confusionem per mulieres laudatur Deus. 1.Reg.18. v.6.

post Goliatum ſuperatum, cum viri non celebrarent, mulieres in tympanis & choris concinuêre; ita cùm præconia Christi tacerent Apoſtoli, mulier deprædicavit in virorum opprobrium, qui inhumano abſterriti reſpectu laudes Domini ſub roſa arrodi permisêre. ſicut judicum tempore unica mulier Debora prophetiæ dono claruit, quòd dono hoc viri indigni forent: ita cùm Phariſæi efferre Chriſtum laudibus dedignarentur, extulit vocem in laudes mulier, quæ ſola digna fuit encomiaſten Chriſti agere: *Debora in contumeliam virorum, prophetiæ donum adepta eſt*, inquit Theodoretus q 11. *nam cùm ex viris nullus inveniretur dignus, qui ſpiritum ſanctum promereretur, hæc donum ſanctiſſimi ſpiritûs eſt conſecuta.* Virorum certè eſt contumelia, quòd laudes Ieſu taceant, quas femina ſpiritu ſancto plena enuntiat. Reſurgentem à mortuis Dominum mulieres annuntiare juſſæ ſunt: *ite, dicite diſcipulis ejus.* Marc. 16. v. 7. ut erubeſcant viri non quærere, inquit D. Hieronymus, quem jam fragilior ſexus invenerat. erubeſcant viri non laudare MARIÆ filium, quem fragilis mulier elatâ voce deprædicat, & Matrem in Filio, Filium in Matre commendat. ob quam ingenioſam laudandi rationem D. Athanaſius dignam hanc mulierem eſſe cenſet, quæ viciſſim à Seraphinis, Cherubinis, Thronisq; celebretur: *benedictionibus te celebrat prima acies, quæ ex Thronis, Cherubinis, & Seraphinis conſtat & magni Regis cognitores appellantur.*

S. Hieron in prolog. Sophō.

S. Athanaſ. orat. de B. MARIA.

Nimirum benedici illa lingua meretur, quæ benedicit Mariam, cùm neminem in ſcripturis reperire ſit, qui Matrem Ieſu benedixerit, ſive Angelus fuerit ſive homo, & non reciprocè meruerit commendari. Gabrielem Arch-Angelū intelligo, Eliſabetham Spiritu Sancto plenam indigito, Simeonem appello, an non ſingularibus ſinguli laudibus à Spiritu Sancto donati? Benedicantur quotquot Mariam benedicunt, maledici & diris devoveri æternis merentur, quicunq; malè ſentire vel loqui de ea impudenter præſumunt: contra quos

quos vocem hodie extollam, & in maledicos Mariæ maſtiges, optimè me dixiſſe putabo, cùm malè, imò peſſimè ijsdem dixero.

§. 2. Excellentiæ Deiparæ.

Credámne inter Chriſtiadas vel unum reperiri, qui fide verâ imbutus eaq; inſtructus Deiparæ excellentia, cognitione, quam ſana Religio cum lacte inſtillat, adhuc tamen illam non æſtimet, non amet, non glorificet, ſed negligat, oderit, contemnat? illam pulcherrimam mulierum, prudentiſſimam virginum, generoſiſſimam heroinarum munificentiſſimam Reginarum, illam primævæ pulchritudinis abſolutam imaginem, primarium ſummi opificis opus, principes delicias Deitatis? illud cœleſte prodigium, & ſacratiſſimum ſpectaculum Ignatio Martyri, cœli terræq; myſterium & ſtupendum miraculum Epiphanio, miraculum omnium miraculorum & abyſſum miraculorum Joanni Damaſceno. Vtinam ad ſcholam Doctoris Angelici adducere poſſem omnes, qui ignorant Mariæ excellentiam, ut audiant docentem: *rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit unigenitum à Patre, majora præ omnibus alijs privilegia gratiæ accepit*, quò magis res aliqua ſuo appropinquat principio, eò magis de illo participat. lucidior eſt ſuprema regio aëris, quàm infima, quia ſoli vicinior; purior aqua eſt, quæ ſcaturigini propinquior; quò quid viciniùs igni vel lumini eſt, eò magis calet vel lucet; in eccleſiaſtico pariter ac politico ſtatu, quò quis vicinior Pontifici vel Cæſari eſt, eò & dignior cenſetur. Cùm itaq; inter omnes omnino creaturas propinquiſſima Deitati ſit Humanitas Chriſti, Humanitati verò maternitas Mariæ (ex hac enim humanitas eſt aſſumpta) negari non poteſt Mariam præ ceteris omnibus puris creaturis copioſiùs de Deitate tanquam de fonte omnium gratiarum, privilegiorum & excellentiarum participâſſe. Tam excellens eſt Maria, ut, teſte eodem Doctore, infinitam quantam dignitatem contineat, quia melior ac dignior Mater eſſe non poteſt, quàm Mater

S. Ignatius

S Epiphanius de laude Dei

S. Ioannes Damaſcenus ſerm. 1. de Nativitate S. Th. P. 3 q 7. à 9.

DEI ſicuti DEO nihil poteſt eſſe majus, ſublimius, perfectius: *non eſt factum tale opus in univerſis regnis*, non eſt perfectione, præſtantiaq; Mariæ ulla ſimilis in omnibus creaturis. Et audebit ſpurciſſimus aliquis ſycophanta minores huic creaturæ deferre honores, quàm calceamentis Chriſti detulerit is, quo inter natos mulierum non ſurrexit major? digni honore calcei Chriſti ſunt, quia in eis Rex gloriæ inceſſit, & eo quidem honore digni, ut indignum ſe ad eos portandos Baptiſta cenſeat; digna honore Arca fœderis eſt, quia pro ſuo eam Deus ſcabello habet: *adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*; & præ ſcabello Dei ac calceis Chriſti honores mereri dubitabimus illam, quæ Filium Dei ſuo geſtavit in corpore, ſuâ veſtivit carne ac ſanguine, lactavit pleno de cœlis ubere, educavit impenſis ac labore? næ is Filio injurius eſt. quisquis injurius in honorem eſt maternum; queſtus contra nefarios judæos ante mortem ſuam Homo Deus eſt: *oderunt & me & Patrem meum.* Joan. 15: v. 24. pari propè verborum energiâ adverſùs Chriſtianos ſuos queretur: oderunt & me & Matrem meam. non poteſt ſpecioſum formâ præ filijs hominum amare Ieſum, qui pulchræ dilectionis matrem odio habet. non honorat Dominum, qui Ancillã, imò Matrem chariſſimam dehonorat; *ſi honoris, qui conſervis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quo tandem modo* (exclamat pro Virgine Deipara Damaſcenus) *ſtudium te honorandi, quæ Dominum peperiſti, negligendum erit?* ſcimus quanto honore Angelicos ſpiritus Patriarchæ veteris teſtamenti, puta Abraham, Jacob, Moyſes, Joſue, Manue, Gedeon, proſecuti ſint, & proni in terram adoraverint; an non æquum erit honore ſi non ampliore, certè æquali Reginam Angelorum afficere, quam ſupremi Angeli infimis demereri obſequijs gaudent, ſuarumq; ducunt partium, miniſtrare quotidie, paſcere & inviſere, in Solymæo templo parvulam, ut docent SS. Ambroſius, Hieronymus, Gregorius Nicomed. alijq;

3. Reg. 10.

Pſ. 98. v. 5.

S. Ioannes Damaſcenus orat. 1. de dormit. Virg.

alijq; ſalute prævenire deſponſatam, mortuam triduanâ ad ſepulchrum hymnodiâ celebrare, parietes ipſos, quos Nazareti incoluit, quartùm tranſportare, Reginam cœli canoris vocibus ad avertandam ab urbe cladem decantare, deniq; nihil obſequiorum omittere, quibus excellentiam Marianam deprædicent, & affectum ſtudiumq; ſuum erga univerſorum Dominam ac Reginam conteſtentur. Quàm parùm de Angelico habent genio, qui debito ſupremam Imperatricem homagio defraudant.

Quòd ſi incomparabilis excellentia Virginis ad ſincerum te amorem non inflammat, urgeat ſaltem pijſſima ejus erga omnes benevolentia, quæ tanta eſt, ut major ſub Deo eſſe nequeat, atq; ut Ludovicus Bloſius loquitur, *citiùs cœlum cum terra periêrit, quàm ipſa aliquem ſeriò ſe implorantem ſuâ ope deſtituat.* experiuntur opem illius non probi modò, ſed ſcelerati, ſed judæi, ſed Turcæ, ſed viliſſima & ſanguineo chirographo obligata dæmoni mancipia. Notus eſt Theophilus Adanenſis Eccleſiæ œconomus, qui & chirographum ſuum ope Virginis poſt quadraginta dierum pœnitentiam recepit & poſtriduo felicem in laudibus Dei ac Deiparæ exhalare animam meruit. Expertus clementiam Virginis eſt Baſſa Turcicus Corcutus à fatali apoſtemate & proximo vitæ periculo poſt factum ad Divam Lauretanam ſvaſu mancipij ſui chriſtiani votum, momento liberatus anno 1557. expertus hebræus apella ſexagenarius, ob grave facinus à Turcis comprehenſus & perpetuo carceri mancipatus, quem tamen invocata Deipara vinculis & carcere exemit, ad mare deduxit, naviculam inſcendere juſſit & intra biduum Nazareto, ubi natus & educatus atq; etiam captivatus fuerat, Anconam atq; exinde Lauretum per Angelorum manus transmiſit. plena ſunt ſimilium hiſtoriarum volumina, quibus qui fidem parciùs adhibet, ſit utinam & ipſe inter exempla. Maneat interim inconcuſſa (quia quotidianis experientijs confirmatiſſima)

§. 3. Clementia Deiparæ.

Bloſ. ſpec. c. 12.

tissima) illa D. Bernardi *in signum magnum* sententia: revol-
ve diligenter Evangelicæ historiæ seriem universam, & si-
quid forte increpatorium, si quid durum, si quod deniq; si-
gnum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero
suspectam habeas & accedere verearis. nihil austerum in ea,
terribile nihil, tota svavis est offerens lac & lanam, Maria
omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copio-
sissimâ charitate debitricem se fecit omnibus aperit mise-
ricordiæ sinum, ut de plenitudine ejus accipiant universi, ca-
ptivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationē,
peccator veniam, justus gratiam, tota deniq; Trinitas glori-
am. estne ipsa sole amicta mulier? nimirum ea est, quæ ve-
lut alterum solem induit sibi, sicut enim Sol super bonos &
malos indifferenter oritur: sic ipsa præterita non discutit
merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissi-
mam præbet omnium deniq; necessitates amplissimo quo-
dam miseratur affectu.

§. 4. *Laudes Mariana ab ipsis hostibus.*

Et nondum ista cor nostrum ad teneram commovent pi-
etatem, nec dum ad debitas Mariæ laudes accendunt? Con-
fundat ergo ignaviam nostram Turcarum antesignanus Ma-
homet, qui in alcorani sui Azorara l. & c. 75. ita scripsit de
Virgine: *præter MARIAM IESV Nazareni Matrem nulla unquā
fuit mulierum per omnia perfecta & absoluta. Nullus nascitur de filiis
Adam, quem non tangit Sathan, præter Mariam & eius filium. Feli-
ces igitur tantæ Matris filios, quibus humani generis hostis nullum adferre
potest nocumentum.* Confundat tepidos in Mariæ laudem ca-
tholicos hæreticus Bucerus & OEcolampadius, quorum ille
hæc de Deipara consignavit: *pius animus de Maria nonnisi sanctissi-
ma cogitabit & Matre Dei digna.* iste verò serm. de laud. Virg.
*nunquam de me audiatur, quasi aversor Mariam, erga quam minùs
bene affici, reprobatæ mentis certum existimo indicium esse. Nollem à
cultu Mariæ aliquid diminui. Sicut homini communicantur omnium
creaturarum dignitates, ita ista omnium humanarum excellentiarum
particeps fuit.*

Legatur & hæresiarcha germaniæ nostræ pri-
marius in commentario super Magnificat. quanquam Pla-
tonicus hic mulus, quidquid lactis, quidquid laudum in Vir-
ginis favorem colligit, excusso petulanter calce effudit, cùm
sermone de Nativitate Deiparæ effutiit: *omnes christiani æquè
magni sumus sicut Mater DEI & æquè sancti.* Sed hæc non
hominis, sed dæmonis imò nec dæmonis, censeri vox po-
test, cùm innumeris constet exemplis dæmonem honorifi-
centissimè in multorum orthodoxorum confusionem de Ma-
tre altissimi locutum fuisse. Nuper in Arragonia adjuratus
à religiosissimo ex ordine prædicatorum Sacerdote dæmon
& jussus edicere, quid de Deipara, immaculata præsertim e-
jus conceptione sentiret, voce contentissimâ exclamavit: væ,
væ, væ malè de Deipara sentientibus & de conceptione ejus
immaculata detrahentibus. Si his væ, proh quantum aut
quale væ tibi impie Luthere, vobisq; omnibus nequissimi
Mariæ mastiges, qui dupliciter Filium offenditis, quoties san-
ctissimam eius Parentem blasphemâ linguâ impetitis, exper-
turi aliquando vindicis iram, qui Matri suæ dixit: *opprobria
exprobrantiū tibi ceciderunt super me.* non irritatur faciliùs cœlorū
Rex, quàm cùm Regina lacessitur, & illud Assveri contra Aman
implacabili furore pronuntiatur: *etiam reginam vult opprimere.*

Theophil. Raynaud. t. 8. fol. 326.

ps. 68 v. 10.

Ester. 7. v. 8.

§. 5. *Pœna Mariæ mastigum breviculè insinuantur.*

Hinc est, quòd viscera Arrius effundat; Nestorij bla-
sphema lingua fœdissimè verminet, Constantinus Copro
nymus adhuc vivens igni inextinguibili tradatur; princeps
Germaniæ Apostata à dæmone stranguletur; Calvinus à pe
diculis devoretur; Zuinglius hastâ transfixus absque pœni
tentiæ signo terram, instar leonis mordeat; Anatolium lupi
distrahant: crocodilus Indum irrisorem devoret; aliter a-
lij miserrimè omnes in suæ pœnam blasphemiæ intereant.
Quid? quòd ipsamet Deipara misericordiæ Mater & sinè
felle columbula ultionem in scelestos aliquando sumpserit,
etsi non absq; insignis clementiæ temperamento. erat He-
liopoli mimus quidam Gajanus nomine, qui intaminatam

Deiparam multis laceſſens probris riſum populo movebat, cui clementiſſima Virgo aſpectabilis facta in has voces locuta eſt: quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis & blaſphemas me? ille verò non ſolùm nihil compunctus eſt, ſed dicaciùs quàm antea Matrem Verbi perſtrinxit. Apparuit denuo clementiſſima regina dicens: noli quæſo, noli ità lædere animam tuam. Sed neq; hoc verborum lenocinio durum pectus emolliit, enormiùs enim ac unquam blaſphemiarum plauſtra in Reginam gloriæ congerebat. unde & tertiò eidem apparens eadem repetebat, fructu non diſpari, ergo ter correptum & nequidquam correctum, ſed in blaſphemijs magis obfirmatum quartùm inviſens, cùm is meridiano indulgeret ſomno, verbulo non prolato, mimi manus pedeſq; digito ſignavit & èvanuit; evigilavit iſte & manibus pedibusq; truncum ſeſe reperit & quà clementer ob ſuas cruciaretur blaſphemias palàm enarravit. O ſi plures ejusdem ſceleris complices virginea hodie manus ſignaret deq; inutilibus truncis frugiferas arbores & facundos laudum ſuarum Mercurios efformaret!

Prat. ſpiri. c. 4. Pet. Caniſ. l. 5 de Deipara c. 10.

§. 6. *Obiectiones ſolvuntur.*

At dices: ſi tantæ ſanctitatis gloriæ ac præeminentiæ Maria eſt, cur tam rara in ſcripturis ejusdem mentio? cur in Canæ nuptijs non ſine verborum acrimonia repellitur: *quid mihi & tibi mulier?* cur nunquam matris titulo à Filio ornatur, ſed *mulier* duntaxat appellatur: *Mulier ecce Filius tuus*. Cur Matre beatiores in hodierno Evangelio nuncupantur, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud? cur non illa, ſed diſcipuli Matris titulo extolluntur: *qui fecerit voluntatem patris mei, ille meus frater & ſoror & mater eſt?* hi ſunt præcipuè Mariomachorum arietes, quibus ſe cœlum quatere & reginã cœli in probrorum abyſſum detrahere poſſe putant. At inſana malevolorum deliria! Rara in Evangelijs Mariæ fit mentio, quia tunc temporis minimè neceſſaria; ſuſpecta namquè laus Matris fuiſſet, ſi ab ore filij, quem cane & angve pejus

Matth. 12. v. 50.

pejus oderant judæi, prodiiſſet; utilitati potiùs noſtræ, quàm honori ſuo, pijſſimus Salvator conſulere voluit, ut maternis ſuperſedendo laudibus à nimio conſanguineorum & familiarium amore atq; præconio aſſeclas ſuos abſtraheret. Ingeniosè Andreas Cretenſis dixit: *ſolius Dei eſt Mariam Virginem pro meritis dilaudare*, ideò calamis ſuis diffiſi Evangeliſtæ ſilentio eam potiùs, quàm verborum calamiſtro, prædicandã cenſuêre. cogitârint ſinè dubio de ea plurima, ſed ſcripsêre pauciſſima, quia, ut S. Thomas Villanovanus loquitur: *multa quidem cogitare poſſunt & homines & Angeli, laudem verò condignè nunquam ſatis declarare*, nimirum magnorum non eſt laus ſed admiratio, ut docent philoſophi, ſicut Deus ſilentio coli mavult quàm loquacitate, nam *tibi ſilentium laus, Deus in Sion* pſ: 64. v. 1. juxta verſionẽ Hieronymi, ità & matrem ſuã ſilentio potiùs quã linguâ duxit honorandã. *Laudat idoneè homo tacendo quod idoneè comprehendere non valet*, inquit Greg: l. 9. moral. Repulſã Canæ ferre videtur & verborum acrimoniam pati, at credamus Euſebio Emiſſeno: *ipſi ſe intelligebant, ipſi ſua ſecreta noverunt, ipſi quid tunc fieri oportebat, & quid poſtea futurum ſciebant.* Sacramentum hoc fuit non convitium, ut eleganter inſinuat D. Auguſtinus: *certi ſacramenti gratiâ videtur Matrem, de qua ſponſus proceſſit, non agnoſcere & dicere illi: quid mihi & tibi.* Sacramentum hoc clariùs exponit Abbas mellifluus: *ut quid ſic reſpondebat? utiq; propter nos, ut converſos ad Deum iam non ſollicitet cura carnalium parentum & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale.* Similiter Richardus Victorinus: *propter nos reſponſio illa data eſt inſtruendos, nè ad parentes nimiùm afficiamur, ſed ſolùm Dei ſpectemus gloriam.*

Emiſſ ſer. in Dom. 2. Epiph.

S. Auguſt. in Ioan.

S. Ber. ſer. 2. in Dominic. 2. Epiphan.

Rich. l. 3. de laud. Virg. c. 10.

Quòd beatiores hodierno in Evangelio dicantur, qui Chriſtum mente conceperunt, nihil maternis laudibus detrahit, ſed plurimum addit, uti venerabilis Beda diſſeruit: *pulchrè Salvator atteſtationi mulieris annuit, quia & eadem Dei Geni-*

trix exindè quidem beata; quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi cultrix manebat æterna. Similiter doctissimus Cajetanus: *magis commendata est beatissima Virgo in genere tamen per hæc filij verba: quin imò beati, qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud, quàm fuerit in specie commendata per verba mulieris, quoniam in verbis Iesu laudata est ex parte animæ, in verbis verò mulieris laudata est ex parte corporis.* Non concepisset Maria Deum ventre, nisi prius concepisset mente; sicut enim non decuit naturam humanam nisi pulcherrimè atq; incomparabiliter decoratam assumi à Verbo, ita nullatenus decens fuit personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissimè & gloriosissimè virtutibus omnibus ornatam, quibus Deum mente prius, quàm ventre conciperet. nimirum antequam parturiret; peperit Is. 66. v. 7. antequam corpore conciperet, corde conceperat, cùm virgineo ore dixit: Ecce ancilla Domini fiat mihi.

Dionys. Carthus. initio l. 1. de laud. MARIÆ.

Similiter cùm Salvatore eo tempore, quo de regno DEI differebat, maternæ admoneretur præsentiæ, aptissimè interpellatori respondit: *quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei* illi, qui sermonem Evangelij, parentes annuntiando interrumpebat, meliùs respondere non poterat, inquit Guarricus Abbas serm. 24. de Assumpt. ut scilicet spiritualia carnalibus præferenda Christus monstraret. Tertullianus & ex eo Cyrillus Alex. ex utroq; D. Ambrosius, ideo verba hæc: *quæ est Mater mea,* à Christo prolata existimat, non quòd genitricem & consanguineos non cognosceret, quos reverentissimè colebat, sed ut synagogæ mysterium repræsentaret, eamque à se ignorandam propter divini contemptum Verbi doceret. Loquatur Christianus Tullius: *figura synagogæ in Matre abiunctâ, & iudæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israel: discipuli autem novi intus audientes & credentes & cohærentes Christo Ecclesiam delineabant, quam potiorem matrem & dignio-*

Tertull. de carn. Christi c. 7.

rem fraternitatem recusato carnali genere nuncupat. Non abnegat Christus matrem, sed in ea tanquam humanæ salutis cooperatrice & adjutrice sua in redemptione generis nostri. synagogam delineat, Mariam verò duplici sibi nomine Matrem esse ingeniosè insinuat, prout observavit Simon Cassianus: *quæ est Mater mea? cognovit duplicem Matrem, carnem videlicet, quia verè sic erat, & spiritum super omnes animas, quoniam per amplius volantatem Dei ipsa perfecerat. in qua maternitate perfectius Virgo profecit, quàm illa quæ solùm est carnis, magisq; in illa grata fuit Filio, quàm in illa per quam ipsum gestavit in alvo.* Hæc Cassianus.

Cassian. l. 8 c. 26.

Deniquè mulierem potiùs vocat, quàm matrem ad præcavendum erroribus posterorum, nè Deam esse crederet Dionysius, néve ut Deam adorarent Collyridiani hæretici. Colligi potest ex mente S. Augustini tr. 8. in Ioannem: *dicitur autem mulier secundùm femineum sexum,* & D. Epiphanij verbis hæres: 75. revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; revera Virgo erat & honorata, non tamen ad adorationem nobis data. Propterea Evangelium munit nos dicens, quòd Dominus dixerit: quid mihi & tibi curæ est mulier? velut propherans quæ futura essent in terra, utnè aliqui nimiùm admirati sanctam, in hanc hæresim (de Collyridianis loquitur, qui Deiparæ Divinos honores & latriam defferebant) eius deliramenta labantur. Mulierem vocat, quia iuxta Toletum communi loquendi modo matres mulieres vocabantur: *nunquid oblivisci potest mulier infantem suum* Is. 49. v. 15. *mulieres,* id est matres, *conspergunt adipem* Ierem. 7. v. 18. Mulierem vocat, ut indicet, hanc esse illam mulierem, cui propter excellentiam id nominis competit; illam inquã mulierem, de qua Genes. 3. v. 15. *ponam inimicitias inter te & mulierem & ipsa conteret caput tuum.* illam mulierem, quam sapientissimus regum inquisivit: *mulierem fortem quis inveniet, procul & de ultimis finibus pretium eius.* illam mulierem, de qua

Prov. 31. v. 10.

Siradi-

Eccl. 36. v. 27. Siracides: *ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens;* illam mulierem de qua proverbialiter Salomon: *qui invenit mulierem bonam, invenit bonum & hauriet iucunditatem à Domino* proverb. 18. v. 22. Mulierem vocat propter nos inſtruendos, inquit Richardus Victorinus cit: Rupertus l. 2. in Ioan. *fecit ipſe prior, quod nobis faciendum praecepit autem ei, qui ſe ſe dignus eſſe cupit, ut propter Evangelium patrem & matrem relinquat, & renuntiet omnibus, quae poſſidet, hoc igitur primus ipſe fecit.* Mùlierem vocat, quia conſtituebat eam nobis in matrem, ſi enim Alexandro ab Alexandro fides, mulieres vocabantur, quibus multi obtigerunt liberi. huc alludere videtur Bernardus ſerm. de aquæ ductu: *Chriſtus frater tuus eſt & caro tua, hunc tibi fratrem Maria dedit.* Benedictus frater, exclamat D. Bonaventura in ſpec. per quem Maria eſt noſtra mater. & benedicta Mater, per quam Chriſtus eſt noſter frater. Eva quia mater viventium futura deſignabatur, mulier in paradiſo appellatur, quidni & ſecunda Eva ter melior primâ vocetur ab Adamo ſecundo Mulier, quæ omnium electorum mater fuit conſtituta: *quis perfectus eſt & in quo vivit Chriſtus, de eo dicitur Maria; ecce filius tuus.* Origenes in c. 19. joan.

§. 7. Peccare in Mariam eſt peccare in cœlum.

Finiat Venerabilis Beda verbis ſuis: *& nos igitur extollamus vocem cum Eccleſia catholica, cuius hodierna mulier typum geſſit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamusq́ Salvatori: beatus venter, qui te portavit & ubera quæ ſuxiſti.* Non peccabimus in hæc ubera, non peccabimus in hæc miſericordiarum viſcera, peccatis cæteris amarius videtur non amare, ſed ut irâ dicam amaricare Marianæ viſcera pietatis. Queritur miſerandus Job. 13. v. 26. Job, ſcribi contra ſe amaritudines, ſequé conſumi peccatis adoleſcentiæ. quænam illa adoleſcentiæ peccata, quænam amaritudines? ex adoleſcentis prodigi parabola elucescet veritas. Amariſſimè ingemiſcit ille & illachrymatur, quod Luc. 15. v. 18 in cœlum & in Patrem deliquerit: *peccavi in cœlum & coram te.* priùs dolet de peccato in cœlum, quàm in patrem. In patrem

Patrem quòd peccaverit, nimìs quàm manifeſtum eſt, at non liquet qua ratione in cœlum ſe dicat peccâſſe, cùm neq; per cœlum pejerâſſe, neq; blaſphemiæ protuliſſe verbulum legatur. Quid ſi cœli nomine prodigus adoleſcens reginam cœlorum intellexit, quam ſua pro matre colere debuerat, at neq; obedivit, cùm in paterna domo petulciret, neq; vale huic dixit, cùm in regionem longinquam peregre abiret, hinc illæ lachrymæ; *peccavi in cœlum.* MARIA *cœlum eſt vivum, cœlum mirabile, cœlum ſplendidum incomprehenſum*, ut loquuntur Damaſcenus, Epiphanius, Philippus Abbas alijqué; Cœlum vocare rectè poſſumus Mariam, inquit Labata, in quo Filius Dei homo factus viſione beatificâ frui cœpit, cùm primùm enim in Maria carnem aſſumpſit, Dei eſſentiam vidit. In hoc cœlum peccâſſe ſe dolet prodigus, & conſumi ſe peccatis adoleſcentiæ conquerens Jobus perſonam eorum repræſentat, qui in adoleſcentia ſua Mariam debito cultu & amore proſequi negligunt, & neſcio quam Helenam, Magdalenam, Lenam pulcherrimæ mulierum caſtiſſimæq; Virginum anteponunt; digni certè contra quos ſcribantur amaritudines, quia amores Mariæ dulciſſimos averſantur & amariſſimas potiùs Veneris dulcedines venantur. Non ſimus degeneres & prodigi, ſed ſimus cæci & fatui, ſed totis præcordiorum affectibus, totis cordium medullis MARIAM amemus, prædicemus, veneremur, quia hæc eſt voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.



PHILIPPICA XXII.

In parcos & immiſericordes erga pauperes

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Vnde ememus panes, ut manducent? Ioann. 6. v. 5.

§. 1. Pauperes Christo chari.

PRæcipuè ſemper curæ Chriſto fuiſſe pauperes, ex plurimis ejusdem dictis, factisque indubitatum eſt. Cùm Ioannes in vinculis diſcipulos ſuos ad Ieſum miſiſſet quæſitum: an is verè Meſſias eſſet? reſpondit operibus magis quàm verbis: *cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* ſupremo loco pauperes poſuit, quia ut ex Hieronymo obſervavit Beda apud Sylveiram tom. 3. pag. 165. non minus eſt pauperes evangelizare, quàm mortuos ſuſcitare: *his non minus eſt pauperes Evangelizare.* Pauperes in beatorum ordine primo loco collocavit: *beati pauperes ſpiritu.* pauperes vicarios ſuos conſtituit: *quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis.* pauperes multiplicato per miraculum pane iteratò ſatiavit, Ioannis 6. & Marc. 8. ubi inſuper verbis apertiſſimis cordis ſui teneritudinem abundè demonſtravit inquiens: *miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quòd manducent.* è quibus verbis triplex elucet miſericordia, cordis, oris, & operis, quàm in paucis eſt reperire, ut & ſtipem non rogati conferant, & ſtipi benignum verbum vultumq; adijciant, & ex imis miſericordiæ viſceribus miſeriæ egenorum condoleant; quin potiùs reperire quàm plurimos hodie eſt, qui cùm parcâ manu erogant ſtipem, copioſum maledicentiæ imbrem in egenos depluunt, increpant, exprobrant, durioraq; verberibus verba in eoſdem conijciunt, prout eos proverbialiter deſcri-

Matth. 11. v. 5.
Matth. 5. v. 3.
Matth. 25. v. 40.

pſit Salomon: *cum obſecrationibus loquetur pauper, & dives effabitur rigidè* contra quos rigidos miſerorum inſectatores, ſi rigidius aliquid protulero, genium me illorum expreſſiſſe exiſtiment.

Prov. 23. v. 28.

§. 2. Oppreſſor pauperum figuratur in Divite parabolico Luc. 12.

Si qua retundendis egenorum perſecutoribus apta eſt parabola, illam eſſe exiſtimo, quam Salvator Luc. 12. à v. 16. propoſuit de ſordidiſſimo euclione cui horrea congregandis frugibus non ſufficiebant, hinc illæ næniæ *non habeo quò congregem fructus meos.* non habuit ergo locum condendo frumento opportunum? imò verò habuit plusquàm ſufficientem. *non habeo quò congregem.* mentitur (rectiſſimè reponit Rabbanus) mentitur, nam horrea parata ſunt pauperum ventres. at de his horreis nihil Dives intelligit: *non habeo quò congregem*, miſerum! exclamat Chryſologus ſerm. 104. quem ubertas ſterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecerunt mendicum. non tam mendicus ô Chryſologe quàm ſtultus appellandus eſt, ex copia opum in mentis inopiam incidit, cùm rumperentur horrea, non implebatur animus & vociferabatur: *non habeo.* clamat ſe dives non habere (verba S. Ambroſij l. de Naboth. c. *6.*) paupertatis hic ſermo eſt: de inopia queritur abundans fructibus. nimirùm tam deeſt avaro quod habet, quàm quod non habet.

Quid, inquit, faciam? (D. Zenonis ſententiam refero ſerm. de duplici genere tentationum) anguſtiatur ex abundantia, conſtringitur ex opulentia, infelix in præſentibus bonis, infelicior in futuris. Et ut video, ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores. unde hi gemitus? pauperibus fortè expreſſerat, quibus ſtipem negârat, imò quorum ſudorem, lachrymas, ſanguinem exhauſerat, ac velut ſementem in agrum cordis ſui ſeminârat. Non ingemuiſſet, ſi Joſephi Patriarchæ uſus exemplo atque conſilio ità ſtatuiſſet, prout magnificè D. Baſilius dixit. *Imitabor Joſeph, vocem emittam magnificam; quicunq; panibus egetis, venite ad me,*

Baſil homil. 6.

me, ſinguli futuri participes gratiæ à Deo mihi collatæ. at non ſic dixit, nullum à Joſepho conſilium requiſivit, ſemetipſum cõſuluit, vel potiùs inhabitantem in ſe dæmonem, ut opinatur S. Chryſologus ſerm. 104. *quid faciam?* interrogantis vox eſt; quem putas interrogat iſte? erat in illo alter, quia ad ejus penetralia jam Diabolus poſſeſſor inſederat; & qui intraverat in cor Judæ, mentis ejus tenebat arcanum. conſiliarium adhibent dæmonem, quotquot deliberant an ſuccurrendum pauperibus, an ſuperflui reditus erogandi mendicis, an theſauri congregandi in cœlis? & quid mirum, quòd non niſi ſtulta prodeant conſilia, ſtultiſſima decreta de deſtruendis horreis, de multiplicandis laboribus & curis, de inferno ſibi ampliando. Contra ſtulta hæc conſilia procedit iuſtiſſima ſapientiſſimi Numinis ſententia: *ſtulte hâc nocte animam*
Luc.12.v.21. *tuam repetent à te.* ſtultus appellatur, quia nihil ſtultiùs quàm quærere dubia, acquirere peritura, inquit D. Valerius homil. 10. cùm ſe prudentiſſimum conſilium inveniſſe arbitraretur (verba S. Auguſtini ſerm. 19. de verb. Apoſtol.) ait illi Deus: ſtulte; ubi tibi ſapiens videris, ibi ſtultus es. ſubdit verò dignam ingenio ſuo obſervationem idem Hipponenſis Doctor: *ecce increpatus eſt ſtultus malè recondens. Si ſtultus eſt qui recondit ſua, vos invenite rationem ei, qui tollit aliena; ſi ſordidus eſt reconditor ſuorum, ulceroſus eſt raptor alienorum.*

§ 3. *Oppreſſor pauperum Lucifero deterior.*

Tam graviter ſentit pater miſericodiarum immiſericordiam hominum, ut graviùs immiſericordem quàm blaſphemum & divini honoris impugnatorem perſequatur. Lucifero enim propter blaſphemam ambitionem ſolummodo dicitur: *verumtamen in infernum detrahêris, in profundum laci* Iſ. 14. v. 13. at verò diviti avaro ſtultitiæ titulus impingitur: *ſtulte hâc nocte animam tuam repetent à te* Luc. 12. v. 21. *ipſis æternis cruciatibus maior eſt ſtultitia nota*, inquit D. Baſilius homil. de divit. nimirum durior immiſericordi pœna quàm divini nominis violatori ſtatuitur, unde & ſervus qui abſcondit

pecuniam Domini ſui *malus* duntaxat appellatur: *ſerve male & piger* Matth. 25. v. 26. qui verò conſervi miſertus non eſt, nequam audit: *ſerve nequam omne debitum remiſi tibi &c.* Matt. 18. v. 32. Rapit eundem avarum mors de nocte, quia bona temporalia illi fuêre, ut loquitur D. Gregorius Nyſſenus, *quaſi vanum quoddam inſomnium ſuper re vana confictum.* Niſſ. de orat. dominic. petit. 4.
De nocte rapitur: *quoniam odivit lucem, nec iuſtitia conſecutus eſt veritatem* Petrus Dam. opuſc. 43. c. 2. In nocte aufertur anima, inquit Strabus, quæ in obſcuritate cordis, quod poterat pati, prævidere noluit. *Nocte anima avari repoſcitur, quæ à tenebris incipit & in tenebris perſeverat, avaro ſemper nox.* itâ illuſtriſſimè Ambroſius l. de Naboth. c. 4. *convenienter hâc nocte, quia fugiens miſericordiæ lucem, avaritiæ tenebris ſe mancipaverat.* ita D. Chryſoſt. ſerm. 104. *ſtulte hâc nocte.* Percutiuntur morte improviſâ intempeſtivâ illiberales pauperũ oſores. ſicut Sabinianus Pontifex Gregorij magni ſucceſſor punitus eſt, teſte Baronio, anno 603. ſicut Hatto Moguntinus Epiſcopus, teſte Baronio Genebrardo, anno 970. ſicut, teſte Cedreno, anno 553. Civis Conſtantinopolitanus extinctus eſt, cùm æger 30. libras argenti diſtribui feciſſet, reſtitutus poſtea in integrũ inſano dolore erogatas opes defleviſſet. Nec tantùm immaturâ plectuntur morte, ſed quod terribilius eſt, ſinè ſpatio pœnitentiæ, adeòq; ſinè ſpe divinæ miſericordiæ abripiuntur.

Indulgentur Ninivitis quadraginta dies ad agendã pœnitentiam, avaro nè quadraginta horæ, ut intelligamus iræ divinæ magnitudinem, quæ nec inducias indulget ad pœnitentiam. At nunquid multi pauperum oppreſſores longævi fuerunt, & de die in diem beatiores? reſpondet S. Gregorius l. 15. moral. c. 35. *ſæpe divina patientia tolerat, quos iam ad ſupplicia præſcita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit deteriora perpetrare. quia enim videt ad quam damnationis foveam tendant, hoc eis pro nihilo eſſe exiſtimat, quòd hic perverſi relinquenda multiplicant.*

plicant. & lib. ibid. c. 5. *ut duriora tunc eos ſupplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt.*

§. 4. Sola in pauperes immiſericordia damnationem meretur.

Si nullius alterius culpæ eſſemus rei, ſola in pauperes inclementia noſtræ ſufficeret damnationi. Epuloni in flammis dicitur: *fili recepiſti bona in vita tua*, in quæ obſervat Bernardus ep. 2. ad Fulconem: *recepiſti dixit, non rapuiſti, nè etiam de hoc tibi fruſtrà blandiaris, quòd tuis contentus alia non rapias; & tamen in cauſam damnationis affertur temporalium receptio bonorum:* hæccine tota cauſa cruciatuum, quòd in hoc ſæculo bona recepit? quærit iterum Bernard. ſerm. ſuper: ecce nos reliquimus, & reſpondet: ipſa planè ſufficientiſſima damnationis cauſa eſt, pauperibus bona non erogâſſe, benefacit animæ ſuæ vir miſericors, quia crudelis etiam propinquos abjicit, ait Salomon proverb. 21. v. 7. quæ verba vertunt ſeptuaginta perdit autem ſuum ipſius corpus immiſericors. Sicut Epulo perdidit, cuius linguam idcirco præ membris ceteris cruciari vehementiùs obſervat Chryſologus ſerm. 122. quia Lazaro improperavit: *magis lingua moritur, qua inſultavit pauperi, quàm miſericordiam negavit.* Cùm enim cuperet Lazarus ſaturari micis, ſaturabatur opprobrijs. cùm panem flagitaret, reportabat lapidem; cum peteret ovum, accipiebat ſcorpionem, duri videlicet verbi & convitij plagam; ſicut hodieq; accidit dum pauper obſecrat, ſi enim corpore appareat integro: apage inquiunt, labora nebulo; ſi floccis ligatus ſit, unde tibi hæc emplaſtra quibus noſtra emungas marſupia? hic panis eſt, quem divites erogant, ut verum maneat illud Chryſologi de Lazaro: *dives paſcebatur convivis, pauper conviciis*, abundabant canes, famebat homo. ô quàm melius eſt apud crudeles divites eſſe canem, quàm hominem, quàm filium; tollunt enim panem filiorum & mittunt canibus. Malebat Auguſtus Herodis eſſe porcus, quàm filius, mallent nonnunquam pauperes eſſe canes, quàm homines, reperunt dico amarum illum gemitum: fac me non ſicut unum de filijs,

filijs, aut ſeruis, ſed ſicut unum de canibus tuis. ô crudelitatem divitum, ô veſaniam, & rabiem plusquàm caninam!

§. 5. Oppreſſores pauperum deteriores canibus.

Caninam linguam & dentes epulo habuit, quibus pauperis ſanguinem lambit & ulcera linxit, cùm præ debilitate, ut loquitur Emmanuel Sa, abigere Lazarus canes non poſſet, & fame deniq; conſumptus, ut vult Maldonatus, canibus, à quibus allatrantur, invaduntur, lacerantur; canes ſunt omnes oppreſſores pauperum, ij præſertim, qui canes ſuos alunt pane pauperibus debito, adeoq; carnes & ſanguinem, ipſamq; vitam pauperum canibus objiciunt in eſcam, qua *panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt* Eccl. 34. v. 25. Contra barbaram Jezabel lata fuit ſententia: *canes comedent Jeſabel* 3. Reg 21. & de Achab c. 22. refertur, quòd canes linxerint ſanguinem ejus, ſed mortui. Chriſtiani autem lingunt ſanguinem vivorum membrorum Chriſti, ideòq; cœlo proſcripti in canum, non hominum, numero habentur: *foris canes* Apoc. 23 v. 15. *famem patientur ut canes*, qui canibus priùs libonem panis quàm offulam pauperibus projecêre, projiciendi & ipſi tartareis cerberis in offam. *pſ 58. v. 7 & 15*

§ 6. Oppreſſio pauperum iram Numinis provocat.

Acutè obſervat Lucifer Calaritanus l. de delinquent. concluſum in tribunali divino contra Pharaonem fuiſſe, poſtquam hic ipſas adeò paleas populo negâſſet: *nequaquam ultra dabitis paleas* Exod. 5. v. 6. *tunc concluſum eſt Dei judicium contra Pharaonem*, ut tanquam plumbum in aquis vehementibus mergeretur, & de aquis ad ignes tranſiret. tunc ô crudelis egenorum oppreſſor judicium Dei contra caput tuum concluditur, cùm unum alterumvé ſtraminis culmum negas pauperi, quem vix negas cani.

Cùm Servator noſter divino plenus zelo negotiatores templo ejiceret, flagriſq; in eos ſeverè animadverteret, columbarum venditores flagro non percuſſit, ſed ſatis habuit dicere: *auferte iſta hinc* Joan. 2. v. 16. cujus facti rationem

assignavit. Rupertus l. 3. in Joannem, quia columbæ pro pauperibus erant & pauperibus vendebantur, ideòq; nihil acerbum in venditores statuit; quia paupertas benevolum semper animum Domini invenit, atq; ad defensionem magis quàm ad offensionem propensum paratumq; experitur, loquatur Rupertus: *valde notandum est, quòd in medio fervore districtionis, in ipsa flamma zeli ardentis, dum sinè cura Sacerdotum mercimonia projicit, pauperibus parcit scilicet his, qui columbas vendebant, non enim divites sed pauperes hujusmodi aviculas vendere solent. pauperibus ergo parcit, ut non exturbet columbas, cùm exturbatæ evolâssent, ipsi consequi non possent, & aliquanto damno affecti angerentur, ac inaniter deplorarent,* hæc Rupertus. pepercit pauperibus Deus, nè eorum eliceret lachrymas & gemitus cieret. Nihil enim æquè vitandum est, quàm nè lachrymas pauperum effundamus eorumq; clamores adversum nos concitemus, cùm nihil magis cœlum penetret & divinam sollicitet iram, quàm justus pauperum gemitus ac lachrymæ. *propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus* ps. *11.* v. 6. ubi namque pauper ingemit: *ego sum pauper & dolens*, vindicem mox reperit, *salus tua Deus suscepit me*, vel ut Vatablus legit ex hebræo *salus tua Deus vindicet me*, non est opus, ut pauper suam alleget innocentiam, aut pietatem, aut modestiam, ceterasve virtutes; non inimicorum nequitiam & rabiem, sed sufficit dicere: quòd sit pauper & gemens; nihil enim magis, ut ex Sylveira in c. 2. Joan q 11. dixi, sollicitat divinam iram ad inferendum supplicium, quàm gemitus pauperùm.

Judicium sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam Iacob. 2. v. *13.* non expectet propitios judicis oculos, non linguam, non aures, qui aures suas pauperibus clausit, *qui obturat aurem suam, nè audiat pauperem, & ipse clamabit & non exaudietur* prov. *21.* v. *13.* exemplum non ita vetus narrat Duegnius in spec. trist. c. *1.* de opulento non quidem injusto raptore vel oppressore pauperum, sed illiberali atq; tenaci, in abstrusis ædium conclavibus habitare solito, nè pauperum clamores exaudire cogeretur. cujus cadaver cùm templo illatum esset, & justa de more fierent, quoties Sacerdos solenne illud: *Dominus vobiscum* pronuntiavit, toties crucifixi imago in altari exposita manus suas clavis eximere & aures obturare visa est; cùm verò psalmus *de profundis* recitaretur ad verba illa: *fiant aures tuæ intendentes*, horribilis vox ab eodem crucifixo emanavit: *non exaudivit, non exaudiam*, Nimirum qui obturat aurem suam, nè audiat pauperem, & ipse clamabit ad dominum, & non erit qui exaudias eum. Quòd minatus est Gedeon viris Soccoth nolentibus dare panes exercitui suo: *Cùm reversus fuero victor, in pace conteram carnes vestras cum spinis tribulisq; deserti.* Jud. 8 idque re ipsâ præstitit: *tulit ergò seniores civitatis & spinas deserti ac tribulos, & contrivit cum eis, atq; comminuit viros Soccoth.* Jud. 8 v. 16. idem expectent viri immisericordes cùm in judiciũ Iesus veniet, eisdemq; exprobrabit: ô inhospitales Caucasi, quia viva membra aculeis verborũ, velut spinis, compunxistis, spinis igneis caro vestra conteratur; quia cor lapideũ in egenos gessistis obrigescite in lapidem velut immitis Nabal, qui quia exuli Davidi panes negavit, *emortuum est cor ejus intrinsecùs & factus est quasi lapis, & post dies decem percussit eum Dominus & mortuus est.* *1.* Reg *25.* Timeant lapidescere, qui cor lapideum in egenos fovent, nec nisì lapides loqvuntur. Narrat oculatus testis Gregorius Turonensis de gloria Confess. c. 108. decrepitum nescio quem senem in littore maris considentem à Præfecto navis, cùm hic navi excenderet, aliquid edulij rogavisse; respondit duriùs præfectus: apage capularis Senecio, nihil nos in navi præter lapides vehimus, cui modestè Senex. si ita: servet ergo Deus vestros lapides, & ecce quidquid esculentorum, quidquid fructuum, dactylorũ, olivarum, saccari, aromatum in navi erat, momento in lapides conversum est, servatâ tamen priori formâ & colore. Senex verò reperiri nusquam potuit. vidit & attrectavit ipsemet

psemet Episcopus Gregorius fructus complures, & in plurimas civitates mitti fecit, ut lapidea corda hiscè lapidibus contererentur. ipso dæmone longè deteriores dixero, quotquot egenis panem negant, & pro pane lapides imprecantur: dæmon enim famelico Christo lapides obtulit in panem convertendos, hi verò panes, quos porrigere pauperibus deberent, in lapides & duriora lapidibus verba ac scommata convertunt.

§. 7. *Sententia SS. Gregorii Nysseni & August.*

Finiant dictionem hanc meam gravissimis sententijs suis S. Gregorius Nyssenus & D. Aurelius Augustinus: *digna semente tuâ messis; acerbitatem seminâsti, collige manipulos. fugisti misericordiam, fugit te misericordia; abominatus es & fastidisti egenum, & fastidiet te qui propter te egenus fuit.* Hæc S. Gregorius Nyss. orat. 6, de beatitud. Augustinus verò Deum judicem ita loquentem inducit: *Quid faciam tibi? eleemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas extinguerent: interveniant pro te pauperes & quidquid petiêre, dono, sed iusto iudicio tibi vicem reddo: quia iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

S. Aug. ser. 227. de temp.

PHILIPPICA XXIII.

In Immemores Passionis Dominicæ. DOMINICA PASSIONIS.

Vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis eum. Ioan. 8. v. 54. & 55.

§. 1. *Oblivio crucifigenda.*

VTinam in hoc Templo hâc horâ reddere in scena possem spectaculum, quod Ferdinando Tertio Augustissimæ memoriæ Imperatori ad singularem animorum compunctionem exhibitum fuit, cùm is pro avita pietate die parasceves sepulchrum Domini Viennæ in Ecclesia Societatis inviseret. Prodibat elegans pusio Cæsarei odæi phonascus Amorem Divinum referens, trahebatq; post se Iesulum cruce oneratum, & mori denuò paratum, cui obviàm facta oblivio quærit: quid hoc sibi spectaculum? cur renovari crucis oporteat supplicium? ad quid crucifigendus denuò Filius Dei? respondit Amor, oblivionem in causa esse, cur crucem rursus subire Amator hominum velit; jam enim veterem passionem ex animis excidisse, & lessum antiquum hodie, velut cramben repeti debere: *Iustus perit, & non est, qui recogitet in corde suo.* If. 57. v 1. Jubet proinde oblivionem Amor spectaculo interesse, & fixis oculis renovatam crucis catastrophen contueri. quâ peractâ in oblivionem ex improviso Amor irruit, eamque cruci alligat, ut velit nolit, à crucis recordatione recedere non possit. Simile spectaculum minimè fictum, sed vivaciter, veraciterq; objectum Petro Apostolo fuit, cùm is Neronianis liber vinculis mortem effugere conaretur, fugienti enim obviam cum cruce Iesus venit, dixitq; *vado iterum mori,* ut videlicet mortis suæ memoriam vivaciùs Petro imprimeret, atque ad commoriendum Salvatori suo animaret. O quoties bonum JESVM denuò pati, & mori vellemus, qui mortis semel obitæ non totis modò diebus, sed hebdomadis, sed mensibus poenè, & annis immemores vivimus, neq; ullâ syncerae gratitudinis, & commiserationis contestatione significamus vegetam in nobis Iesu patientis memoriam conservari. ad quam feliciter refricandam stylo mihi opus est ferreo in ungve adamantino, ut Ieremias loquitur, quanquam aureum Ier. 17. v. [illegible]
mallem in corde amanti, & magnetico.

§. 2.

Continuam passionis Dominicæ memoriam inculcans gentium Doctor ita monet Heb: 12. v. 3. *recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini.* non obiter, sed accuratè passionem expendi vult, cùm ait: *recogitate,* quasi dicat: iterum, iterumque revolvite auctorem fidei, & vitæ, ac consummatorem omniũ

bonorum Ieſum, qui deſideratus à Patribus, prænuntiatus à prophetis, decantatus in pſalmis, ab Angelis, Paſtoribus, Magis adoratus, adversùs ſemetipſum non coactus & invitus, ſed paratus atque avidus contra dictionem talem à peccatoribus ſuſtinuit, qualis ab origine mundi audita non fuit, nec ulliś unquam verbis exprimi, imò nè mente quidem concipi unquam poterit. Hanc velut animalia munda ruminate, aut velut terreſtres Cherubini ſinè mora, ſinè tædio repetite, ut nè fatigemini in quotidianis vitæ mortalis ærumnis, ſed durare in adverſis & rebus vosmet ſervare ſecundis valeatis, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſalute ſcilicet animarum veſtrarum (ut Theodoretus exponit inquiens: *Chriſtus gaudium ſuum vocat animarum ſalutem*) ſuſtinuit crucem ſibi ad animandum ſuo exemplo univerſos, ut propoſito ſibi immortalis vitæ gaudio ſuſtineant crucem, ſuumque ſequantur Imperatorem, qui, ut loquitur Chryſoſtomus, *non glorioſus, indutus purpurâ, diademate decorus, aſperſus auro, ſolio ſublimis, ſed in campum egrediens, connivens vultu, & honore ultimus, periculis primus, onuſtus ferro, gravis armis, pro patria pro civibus pro liberis pro vita omnium premit hoſtem, diſcrimina deſpicit, contemnit vulnera, ipſam libens mortem ſuorum ſuſcipit ad ſalutem. Sic enim Chriſtus de ſinu Patris ad noſtram venit ſervitutem ut nos ſuæ redderet libertati, mortem noſtram ſuſcepit, ut nos eius morte viveremus.* Vivemus porrò morte Chriſti, ſi ſeriò eandem recogitare libuerit, quā præ omnibus alijs myſterijs expendi à nobis benigniſſimus Servator deſideravit, dum in cœna noviſſima ſacrificium incruentum inſtituit, quo paſſionis beneficium diebus ſingulis ante oculos hominum proponeretur. Nec Euchariſtia duntaxat in memoriam paſſionis inſtituta eſt, ſed & ſacramentorum omnium janua baptiſmus de quo Apoſtolus: *an ignoratis quia quicunq; baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus.* Rom. 6. v. 3. malè baptiſmum ſuum cuſtodit, qui

Chryſoſt. ſerm. 6. de ſer. 5. paſſiõ. tom. 3. in fine

paſſionis memoriam amittit; *in mortem ipſius baptizati ſumus.* nè ſperet immortalem cum Chriſto vitam, qui jugem mortis ejus non conſervat recordationem; *in mortem ipſius baptizati ſumus*, tunc genuini Chriſti aſſeclæ eſſe incipimus, cùm in cruce Domini gloriamur, & in memoria paſſionis ejus exultamus.

§ 3. *Memoriam Paſſionis deſiderat à ſuis Ieſus.*

Vt memoriam ſponſi ſui crucifixi nunquam ex animo ſuo ſponſa dimitteret, faſciculo myrrhæ eundem aſſimilavit, inque ſinum cordis ſui repoſuit: *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 11. non patitur vel brevi tempore ſponſa è memoria ſibi dolores paſſionis excidere, quia horum recordatione novit ſe ad intimos ſponſi amplexus pervenire: *inter ubera mea commorabitur.* adeòne ſvavis myrrha eſt, inquit recentiſſimus & ingenioſiſſimus canticorum interpres, ut eam ſponſa in ſuo reponendam duxerit pectore? nimirum non ſvavis myrrha, ſed ſvavis dilectus, qui & myrrham prælibavit in cruce, & in myrrha latere creditur. *Tu quoq; ſi ſapis* (ſubjungit D. Bernardus ſerm 43. in Cant.) *imitaberis ſponſæ prudentiam, atq; hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principatu tui pectoris nè ad horam patieris avelli; amara illa, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria* (notemus verba) *retinens, & aſſiduâ meditatione revolvens.* Deſiderat id ipſum unicè ſponſus, qui ſponſam amantiſſimè alloquitur, & cordi ejus immorari deſiderat: *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, vel ut Chaldæi legunt: obſecro te pone nos ſicut ſculpturam annuli ſuper cor tuum, & ſicut ſculpturam annuli ſuper brachium tuum; cujus poſtulati ſui cauſam mox adjungit: *quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* tam fortis mors eſt, ut nemini parcat, nec marmoribus, nec ferro, nec adamanti, ſic Chriſti invicta charitas nulli dolori, nulli labori, nulli tormento, nulli ſudoris vel ſangvinis guttulæ pepercit, effudit omnes, ſuſtinuit omnia ut noſtram eblandiretur dilectionem.

Ioannes Paulus Oliva in c. 1. Cant. p. 15.

Cant. 8. v. 6.

dura sicut infernus æmulatio: non dimittit infernus, quos sinu semel suo recipit, sic ab amore, & beneficijs suis non repellit Iesus, quos semel in apertum lateris vulnus includit, si præsertim ab ijsdem reciprocè in memoriæ sinum, & amoris affectum includatur. proponatur ergo Dilectus tanquam signatorius annulus super cor, ut sculptura vulnerum & plagarum ejus, nunquam à mente recedat, ponatur & super brachium, ut opere ipso comprobemus memoriam patientis Sponsi firmiter animis nostris inhærere, ita namque mortem non timebimus, neq; ullo à mala illa bestia afficiemur damno, sed neque ab inferni duritie quidquam patiemur, æmulator enim & zelotes salutis nostræ idemque invictus inferni, ac mortis domitor Homo deus fatali metu, feralique damno eos affici non sinet, quorum se cordibus & manibus per meditationem ac imitationem assiduam firmiter insculptum esse deprehendet. Pulchrè justus Orgelitanus: *primitus super cor, deinde super brachium signaculum superimponendum intellige, ut tam in cogitatione, quàm in opere ad meum signum recurras. quia fortis ut mors Dilectio tui; in tantùm dilexi te, ut mori voluerim pro te: hæc erat fortitudo amoris, acerbitas mortis. dura autem sicut infernus æmulatio, ut Sancti quoq; è contrario pro Christo occidi non metuant, quem pro sua salute mortem suscepisse sine dubio cognoverunt.*

§. 4.
Seraphini in cœlo, crucifixi formam exprimunt. S. Germ. orat. de cruce apud Gretser.

Seraphinos in cœlo formam crucis repræsentare observat D. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. de illis enim oculatus testis Isaias affirmat, quòd geminis velent faciem alis, totidemq; pedes, duabus autem volent; in qua alarum extensione simulachrum crucifixi effigiant, quia nihil Deo gratius, quàm crucifixi memoriam repræsentari bellissimè noverunt. Seraphinus fuit, qui beatissimo Francisco quinque vulnera tanquam signaculum similitudinis impressit: memoriam enim Iesu crucifixi exprimere in se, imprimere alijs, supremorum Angelorum gloria, & voluptas est. Audiatur D. Germanus ita Iesum crucifixum alloquens:

& illi

& illi qui tua gloria, ac sceptro regali assistunt, tibi conformari, & novâ quadam ratione, imitatione tui gloriantur, contractis quidem alis superioribus, & inferioribus, expansis autem utrinq; medijs, & in formam crucis volantes, sine intermissione victoriæ laudes, & præmia decantant. si Angelici spiritus tanto amoris affectu generis nostri redemptionem prosequuntur, & recolunt, quorum tamen naturã hypostatica unione dignatus Deus non est, *nusquam enim angelos apprehendit* Hebr. 2. quid nos viles homulos facere par est, qui aliter immensi memoriam beneficij pensare non possumus, quàm jugi recordatione, & actione gratiarum? Prænuncius Dominicæ resurrectionis angelus regem gloriæ alio nomine non decorat, quàm crucifixi: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum* Marc. 16. v. 6 non potuisti dicere (inquit D. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 13.) ô angele, scio quẽ quæritis, Dominum meum? cur crucifixum potiùs quàm Dominum appellat? respondet Cyrillo Chrysologus serm. 76. *Angelus prædicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem, post sepulchrum agnoscit Dominum suam loquitur servitutem.* novo sese titulo seruum agnoscit Angelus; quia Iesus pro homine, cujus custodia Angelicis hierarchijs demandata, est crucifixus. *non erubescit crucifixi nomen* (verba Victoris Antiocheni in c. 16. Marc.) *hoc uno enim nomine, & re omnium bonorum nostrorum summa continetur.* Summam bonorum omnium habet, qui crucifixi vegetam conservat suo in animo memoriam. Verùm ut de bonorum copia taceam, quæ de recordatione crucis promanare solet uberiùs, quàm ex percussione petræ per virgam, crucis typum, aquarum guttæ profluxerint, de malis duntaxat eloquar, quæ passionis memoria averuncat.

§. 5.
Memoria passionis fugat peccatum.

Cur Job holocausta pro filijs suis quot diebus obtulerit: *offerebat sacrificium, & vitulum unum pro peccato,* ut cum 70. legit Chrysostomus (Job. 1. v. 5.) causam elegantissimam reddit Origenes: *propterea vitulum illum coram filijs suis pro peccatis jugulavit, ut vide[illegible] filij ipsi, quod pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus*

morere-

mereretur, metuentes, & paventes eſſent ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, & dilacerant. Si vituli occiſio efficaciſſimum peccati antidotum Jobo viſum eſt, quid faciet diviniſſimi Agni paſſio, & mors ſeriò recogitata? Ebrietatis inſimulati die Pentecoſtes Apoſtoli ſic à Petro defenſi ſunt: *non enim ſicut vos exiſtimatis hi ebrij ſunt, cùm ſit hora diei tertia* Act. 2. v. 15. cur horam tertiam allegat? quia horâ tertiâ ad crucem poſtulatus & linguis Judæorum crucifixus eſt Ieſus: *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum* Marc. 15. v. 25. non poteſt cadere in eos ebrietas, aut quodvis aliud peccatum, apud quos Dominicæ mortis eſt repræſentatio quid Saxeum cor Judæ emolliit, ut malè partos nummos abijceret, & innocentiam Magiſtri ſui conteſtaretur? vidit is per triennium ingentia miracula, audijt divinam Salvatoris doctrinam, vitam inculpatam, & mores integerrimos quoddammodo contrectavit, proditionem nihilominus innocentiſſimi Domini ſui nefariè molitus eſt; at verò ubi damnatum vidit, pœnitere cœpit, & quem tot miracula, tot exempla, tantæ doctrinæ emollire non potuêre, aſpectus & memoria patientis ſubjugavit, ut compunctis exclamaret: peccavi! *tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum* Math. 27. v. 5. quid eſt (inquit Orator aureus homilia de proditione Judæ tom. 3 *quid eſt quando ab eo mirabilia gerebantur, non dixiſti: peccavi tradens ſanguinem. Sed: quid vultis mihi dare & ego vobis tradam eum? & poſt completam proditionem; poſt perfectum peccatum cognoviſti peccatum?* nimirum efficacior ad movendum eſt Chriſti patientis memoria, quàm quæcunque miracula, expectâſſet utinam Judas paſſionis Dominicæ conſummationem, & pro inimicorum ſalute deprecationem, audet dicere D. Gregorius ad ſeriam animo pœnitudinem, & peccatorum veniam permovendum fuiſſe. Vidit Petrus linteum coelo demiſſum immundiſſimis ple-

num

num animalibus, quæ tamen occidere, & manducare jubetur: *ſurge Petre occide & manduca.* Act. 10. v. 13. quomodo venenatæ, efferatæque beſtiæ ita miteſcunt, ut innoxiè abſumi poſſint? in linteo ſunt, quo corpus Chriſti de cruce depoſitum, à Joſeph involutum & paſſionis memoriâ ſignatum fuit, hinc in eam lenitatem & dulcedinem buffones, & bubones immutantur, ut Petri ſapiant, conducantque palato. audiatur D. Hilarius Can 33. in Matth. *Ioſeph mundâ ſindone corpus Ieſu involuit & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cœlo ad Petrum univerſorum animantium genera ſubmiſſa.* nihil venenatum in brutis, nihil noxium ac ferum remanet, ubi ſigna Dominicæ mortis comparent. Amicè in Arca Noë lupus & agnus, columba & accipiter, lepus & leo cohabitant, quia crucem figurat arca, cujus umbra typusq; cicurare ferocitatem, cohibere voracitatem, frœnare rapacitatem brutorum animantium poteſt, ut doceantur homines, quàm feliciter inhumanitatem ponerent, ſi Domini ſui paſſionem ac mortem ſeriò crebroq; recogitarent. D. Baſilij Seleuci hæc eſt Doctrina ita definientis: *verùm age, quomodo arcâ capi poterant tot animalium genera? quomodo, qui ab ingenio inter ſe diſcordant, innova ſecum fœdera concordabant? quomodo reptilium natura poterat eſſe pacata? quibus frænis reprimebantur ferarum genera? quomodo carnivora cùm herbilegis ſtabulabantur? ò arca virtutum ſchola! ò ſcapha admirabilis ligni ſalutaris umbra, & imago, quæ crucis gratiam præoccupaſti.* ſic occupat crucis memoria animos, ut nullus ferinus prædæmoniari poſſit affectus.

S. Baſil. apud Sylveſt. to. 5 l. 8. c. 1. q. 11.

§. 6. *Repetitio dictorum cum applicatione. ad immemores Paſſionis.*

Auditis hæc o incurii, & Paſſionis Ieſu Chriſti immemores, velut Lethæo flumine poti mortales? cur immundis ſimiles animantibus mortifero abundatis veneno plusquàm ſerpentes, rabie ſævitis ferinâ plusquàm tigrides, & unicornes, cæcutitis ad veritatis lucem plusquàm bubones, nisì quia in Dominicæ paſſionis linteo in crucis Arca non eſtis? cur proditore Juda deteriores malè partos non redditis nummos,

mos,

mos, neque ulla pœnitentiæ editis specimina, nisi quia damnatum pro vobis Iesum non recogitatis? cur crapulæ, & ebrietati à manè primo in vesperum dediti calicibus epotandis studetis, nisi quia nec horæ tertiæ, quâ Iesus ad amaram crucem damnatus, nec horæ sextæ, quâ felle, & aceto potatus, nec horæ nonæ, quâ inter immanissimos dolores pro vobis extinctus est, meminisse placet? cur non ut filij Jobi, sed ut insanus ille epulo splendidè quotidiè epulamini, & flammas flammis ad cruciatum æternum aggeritis, nisi quia Agnum pro vobis occisum, aut Lazarum pro vobis depauperatum, & doloribus attritum non respicitis, nec commiserationis prosequimini affectu? Gaudent in passionis memoria Angeli, gloriantur Seraphini, cur vos meminisse piget, nisi quia non ad Angelorum choros, quibus crux honori est, sed ad legiones dæmonum, quibus horrori crux est, pertinetis? Desiderat dilectus sicut signaculum cordi & brachijs vestris imprimi, at infamem Antichristi characterem prælegitis. desiderat velut myrrhæ fasciculus inter ubera vestra commorari, at venereæ præplacent rosæ, quia evanidam dulcedinem amatis in tempore, ut perennaturam amaritudinem sentiatis in æternitate.

Gal. 3. v. 1.

§. 7.

A brutis memoriam crucifixi discamus

O insensati Galathæ, quis vos fascinavit non obedire veritati (non indulgere amori, non vacare gratiarum actioni) *ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus?* videre oculis fidei exactiùs crucem Christi poteratis, quàm ipsi Judæi, qui Hierosolymæ cruci adstiterunt, Christumque in ea pendentem conspexerunt. qui ergò fascinari potuêre oculi vestri, quibus ad vivum depictus est crucifixus sanguine quasi atramento, clavis, spinis, flagris, lanceâ velut calamis, ut redemptorem vestrum ante oculos pendentem non intueamini, sed vivi, recentisq; beneficij immemores à brutis animalibus, & inanimatis elementis vestram superari gratitudinem patiamini? Leo Gerasimi, Cerva Ivani, Canis Rochi, Anser

Lacydis philosophi, Lupus Francisci, serpens Carbonarij Veneti ob minora beneficia diuturniorem servavêre gratiarum acceptarum memoriam, quàm homines (proh pudor) ob infinitum redemptionis beneficium exhibeant. Delphinus Hermiam puerum, à quo mulcebatur, ita dilexit, ut mortuo commortuus præ dolore fuerit. Aquila Virginem Sestonensem ob educationis beneficium aluit in vivis, se ipsâ mortuæ parentavit in flammis. Leucadiam Virginem ita deperijt pavo, ut una sponte conflagrârit. hæc bestiarum in benefactores gratitudo socordiam nostram arguit, qui passionis memoriam obliterare nitimur, neque ullo reciprocæ gratitudinis monumento dignamur, ô insensati! Quò quò lumina convertimus, crucis figuram aspectare cogimur, nec tamen crucifixi memoriam in animum admittimus; stellæ videri non possunt, quin crucis simulachrum objiciant, & cùm cœli linguæ sint, nobis inclamant: *in hoc signo vive & vince.* Nesciunt Aves volare in aëre, nec in æquore natare pisces, nisì crucis typum exprimant. quid? quòd alauda laudem crucifixi dare, & cantillare audita sit: *IESVS Christus crucifixus.* Aves Palæstinæ totâ sacrâ hebdomadâ passionis alis immotæ, ac velut mortuæ hærent, donec ex oriente Paschatis luce suam ipsæ quoque palingenesin celebrent, & redivivis modulis applaudant resurgenti, quem funebri silentio planxerant morientem. Cervus Eustachij, cervus Huberti, cervus Menulphi effigiem crucifixi gestant in capite, quam plerique mortalium proscribunt è corde. Ipsi quoque lapides memoriam crucifixi loqvuntur, cujus effigiem Povejanæ, & Schapenienses petræ, & Annæbergensis alabandicus lapis sibi à natura pressam gestant. Quid arbores memorem, quarum nulla est, quæ ab arbore crucis insignia non emutuetur. Granadillâ inter flores quid mirabiliùs? omnia passionis instrumenta effigiat, ibi columnam cum corona spinea septuaginta aculeorum, ibi flagella &

P. Athanas. Kirch. Musurg. L. 1 c. 14. §. 5.

Spec. exempl. distincti. 9. num 161.

Gretserus in hort. S. Crucis in fine.

clavos, & lanceam spectare, fructus verò totô omnino annô degustare licet, quia nunquam sinè fructu esse potest passionis memoria. Non forent tot infructuosi in orbe, nec nisi titionibus gehennæ nati trunci, si insitam sibi esse vellent crucifixi Iesu recordationem. At veniet aliquando dies, quando apparente in nubibus signo filij hominis iratus judex fulmineâ exprobrabit voce: ingrate homo oblivioni à te datus sum, tanquam mortuus à corde. quæ utilitas in sanguine meo. in lachrymis meis, sudoribus meis, dum descendi oblivione tuâ in corruptionem? cur gratiam fide jussoris oblitus es, qui dedit pro te animam suam? oblitus es mei, & ego tui non recordabor ampliùs; è sinu cordis tui me exclusisti, & ego à facie vulnerum meorum in æternum te projicio; commisereri mihi noluisti, & ego tui non miserebor, non parcam, nec flagellare, & crucifigere te cessabo in æternum. Apage infatuate, apage belluine homo, & elementis omnibus insensatior. Nè hôc feriamur aliquando fulmine, celebremus, dum vivimus perpetuam *passionis Dominicam*, ut aliquando diem resurrectionis, & gloriæ consequamur; consilium D. Bernardi sequamur tempori &

Portemus in memoria	*Hæc omnia nos satient,*
Fel, pœnas, & opprobria,	*Et dulciter inebrient,*
Christi coronam spineam,	*Nos repleant virtutibus,*
Crucem, clavos, & lanceam.	*Et gloriosis fructibus.*



PHI-

PHILIPPICA XXIV.

In Osores Veritatis.

DOMINICA EADEM.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
Ioan. 8. v. 46.

§. 1. *Veritatē oderunt, qui patrem diabolū habent.*

NOn respondebunt facilè Pharisæi ad postulatum Christi: cur veritatem dicenti fidem non habeant, si enim fidele darent responsum, desinerent eo ipso esse, qui erant Osores veritatis, inciperentque. qui non erant fieri Amici Christi, qui est veritas. aut ergo veritati non creditur & quadringentis mendacibus prophetis faciliùs, quā unico veraci assensus præbetur? nimirū non credūt homines veritati, quia homines sūt, imò quia incarnati dæmones sunt; hanc rationem increata Veritas allegavit Ioan. 8 v. 44. *vos ex patre diabolo estis, ille in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. cùm loquitur mendacium, ex proprio loquitur quia mendax est & pater ejus.* quid clarius, quid verius? patrizant mortales & mores patris sui imitantur, qui mendacijs delectantur. *filij alieni mentiti sunt mihi* ps. 17. v. 41. *filij adulterini* legit ex hebr. Genebrardus, qui non è Deo, sed ex Diabolo, nati sunt *non naturâ sed imitatione*, ut loquitur S. Epiphanius hæres: 38. vel, vel ut habet D. Ambrosius l. 4. in Luc. *non carnis successione sed criminis*, genium & ingenium patris sui æmulantur: *mendacium enim est*, ait Magnus Basilius, *est diaboli fœtus.* quomodo Deus pater genuit Filium veritatem, inquit Augustinus in c. 4. Ioann: sic diabolus lapsus genuit, quasi filium mendacium. at non agam contra hunc fœtum hodie, erit & suus mendacibus perstringendis locus,

Basil Epist. ad Eustath. Sebast. Episcopū.

 Osores

Osores auditæ veritatis ex præsenti dictione solummodo in
odium adducere enitar illius amore & ope, qui est plenus
gratiæ & veritatis.

§. 2. *Gratiosa fabula de veritate.*

Vetus & verax est de veritate fabula, cujus Tertullianus
l. 1. apologetici meminit, peregrè eam è nubibus cœli, ubi
regnum suum habet (*usque ad nubes veritas tua* ps. 35. v. 6. ideo
& in nubibus verax Deus in judicium venturus dicitur) in
terras abiisse & locum è diversorio quæsivisse, tibi ut gra-
tior hospes foret, fides arripuit & cecinit, at impactæ sunt
ab ingratis auditoribus fides in veritatis caput, hinc illud
proverbium: *qui veritatem fidibus canit, fidem non invenit, fid*
fides illi in caput illiduntur. Eliminata è diversorio officinas
mercatorum petijt, ubi vix à primo limine salutavit instito-
res, & non modò exesse jussa est, sed juratum illi & interne-
cinum odium denunciatum, irata idcirco veritas juravit vi-
ps. 94. v. 11. cissim: *si introibunt inrequiem meam*, atque idcirco nulla mer-
catoribus terrâ marique, diu noctuque quies. perrexit ter-
tiò ad aulam, sed illusa ut fatua & appensâ ad eos ferâ no-
lisque circa caput, turpiter est proscripta, solis morionibus
eam extra aulam comitantibus & occinentibus: *qui vult hic*
verum dicere stultus erit. ex aula ad templum processit veritas,
hic cathedram, hic tribunal pœnitentiæ, hic aram occupa-
vit; sed neque in templo grata fuit, vix enim tria dicere
verba cœpit, profugerunt Auditores, unus post alterum, &
incipiendo à senioribus, ita ut solitudo fieret ex templo, &
quod solitudinibus familiare est, spelunca latronum ex do-
mo Dei. In plateis, in foro, in curia stare non potuit, sed
corruit & lapides vix effugit. quid tandem? cùm in urbe, in
aula, in templo locus non esset, nec nisi patibulum, rotas
& malas cruces imprecarentur veritati mortales, fecit quod
Archistrategi & duces militiæ solent, qui urbem aliquam op-
pugnaturi montem patibularium imprimis occupâsse, atq;
ibi tentorium fixisse, ubi justitia regnat, observati sunt; ita
& veri-

& veritas patibulum conscendit, ibi licèt non competentem,
securam tamen invenit habitantem, ibi liberè loqui per-
missa, ibi residere est jussa. quodsi tamen exspatiari in ur-
bem, aulas, templa vellet, non in vestitu proprio sed alie-
no atque, ut vocant *alomodice*, compareret, parabolis vide-
licet, apologis, fabulis & tropis comptissi nè ornata incede-
ret, nè primo sui aspectu incurreret odium & oculos aures-
que mortalium à se alienaret. Vetus hæc de veritate fabu-
la in verissimam transit historiam, quæ toties renovatur, ut
Luc. 2. v. 7. nec luna sæpius. Venit in hunc mundum Incarnata Veri
tas & *non erat ei locus in diversorio.* Venit inter mercatores,
& à Juda mercatore pessimo vendita, atque ab institoribus
ceteris tantopere exagitata fuit, ut arrepto flagello coacta sit
se tueri & in mendacissimum illud genus hominum severè
animadvertere: *cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eje-*
cit de templo. In aula Herodis nunquid albâ veste stultitiæ in-
signibus est illusa? in templo cùm nescio quid in pavimen-
to scriberet, nunquid à scribis & Pharisæis est deserta? *au-*
Ioan. 8. v. 9. *dientes autem unus post unum exibant incipientes à senioribus & re-*
mansit solus Iesus. apud plebejos offendit in lapides, quos vi-
delicet inimici veritatis toties sustulerunt ad lapidandum Je-
sum, nullum non moventes lapidem, ut Veritas vel obrige-
sceret in saxum, vel sub lapidibus sepulta putresceret. In
cruce denique securè loqui & non tria tantùm, sed septem
verba dicere potuit ad cœli terræque motum, petrarum ge-
mitum, veli rupturam, sepulchrorum redanimationem.
Vivit Veritas, sed apud mortuos, loquitur Veritas, sed cùm
lingua hæret in labris, habitat Veritas, sed in cruce & pati-
bulis. Ceterum si gratiam invenire aliquam velit, parabo-
lis & similitudinibus vestita ornataque irrepat necesse est.
Scit Veritas, inquit Tertullianus cit: *se peregrinam in terris agere;*
inter extraneos facilè inimicos invenire.

§. 3.
Veritas incarceratur.

Ab his inimicis carceri mancipatur & vinculis conſtringitur, ita enim docet gentium Doctor. Rom. 1. v. 18. *veritatem Dei in injuſtitia detinent.* in quæ verba Cornelius noſter ex Chryſoſtomo & Auguſtino commentatur. ergo quaſi in carcerârunt veritatem, eamque detinuerunt ſeris iniquæ voluntatis, itaque vim illi intulerunt & ſummam injuriam irrogârunt. Vide Michæam prophetam in carcere, quia veritatem Regi Achab locutus eſt; Joſephum patriarcham in ciſterna vetere captivum, quia veritatem fratribus locutus eſt; Jeremiam Vatem in carcere, quia veritatem Regi Joackim locutus eſt; Joannem Baptiſtam in carcere, quia veritatem Herodiadi locutus eſt; ipſum mundi Salvatorem in aula Caiphæ nocturno mancipatum carceri invenio, quia veritatem principibus ſacerdotum in concilio locutus eſt. hem! ut veritas Dei detineatur in injuſtitia, ut juſti judicis ira reveletur., *revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* nunquam impune tulit cœlum repulſas & injurias veritati illatas, ſed immaturâ plerumq; mulctavit morte ſtygioque mancipavit carceri, quotquot incarcerare auſi ſunt veritatem. *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus* prov. 29. v. 1. Herodem utrumque teſtor, Achabum, Joakim, Pharaonem appello immaturâ omnes morte ſublatos, quia veritatem de medio tollere conati ſunt. *revelatur ira Dei ſuper omnem impietatem & injuſtitiam*, omni impietate ſcatent, quicunq; oſores ſunt veritatis.

3. Reg. ult.
Gen. 37. v. 23.
Ier. 37. v. 4.
Ioan. 3. v. 24.
Rom. 1. v. 18.

§. 4.
Cur Deus in conſummatione ſæculi tot ſcelera permiſſurus.

Cauſam inveſtigans idem Apoſtolus, cur juſtus Deus in conſummatione ſæculi permiſſurus ſit enormia per Antichriſtum patrari ſcelera & perverti plurimos fictis miraculis, quæ in omnibus elementis exhibiturus eſt, ſolem ſiſtendo & obtenebrando, montes transferendo, curſum maris ſufflaminando, per aërem volitando, & reſponſa ex ſtatuis edendo &c. cauſam inquam tantorum malorum inveſtigans

gans Apoſtolus, in contemptum Veritatis eandem denique rejicit: *eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.* Cyprianus legit ep. 55. *eò quòd dilectum veritatis non habuerunt.* Ambroſius: *dilectionem veritatis*; propterea permittet Deus operationem erroris, ut ſeducantur & pereant, ſicut hodieq; permittit, ut ariolis & mendaciſſimis nebulonibus firmiſſimè adhæreant deque ſcelere in ſcelus ruant, qui à veritate auditum averterunt. Fusè S. Auguſtinus: An non eſt peccatum, & pœna peccati, ubi legitur: Dominus miſcuit illis Spiritum erroris & ſeduxerunt Ægyptum in omnibus vijs ſuis, ſicut ſeducitur ebrius? non eſt peccatum & pœna, peccati, ubi Deo dicit propheta: Quid errare feciſti nos, Domine, à via tua, obtudiſti corda noſtra, ut non timeremus te? non eſt peccatum & pœna peccati, ubi rurſus Deo dicitur: ecce tu iratus es, & nos peccavimus, propterea erravimus, & facti ſumus immundi omnes? non eſt peccatum & pœna peccati, ubi legitur de gentibus quas debellavit Joſue, quia per Dominum factum eſt confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum contra Iſraël, & exterminarentur? Non eſt peccatum & pœna peccati, quòd non audivit Roboam rex plebem bene monentem, quoniam, ſicut ſcriptura loquitur: erat converſio à Domino, ut ſtatueret verbum ſuum, quod de illo locutus eſt in manu Prophetæ? non eſt peccatum & pœna peccati in eo quod ſcriptum eſt, Amaſiam regem judæ noluiſſe audire Joas regem Iſraël bene monentem, nè procederet ad bellandum? Vnde eſt illud, quod ad Theſſalonicenſes ſcribit Apoſtolus: Pro eo, quòd dilectionem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Vt ſeduceretur Achab & in prælio periret, vidit Michæas Dominum ſedentem in throno & exercitus cœli coram eo. & dixit Dominus: quis ſeducet Achab & aſcendet & cadet, in Ramoth Galaathe? & dixit Spiritus quidam: ego ſeducam eũ.

2. Theſſ. 2. v. 10.
S. Auguſt. l. 5. contra Iulian. c. 3.

Et

Et dixit, egrediar & ero Spiritus Mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit: ſeduces & prævalebis; exi & fac ſic.

§. 5. *Initium ſalutis eſt auditio veritatis 2. Reg. 12.*

Nè ergo tot tantisque malis involvamur, veritatem libenter audiamus. perijſſet in ſanguinibus David, niſi veridicum Nathanem audijſſet commiſſa ſibi ſcelera exprobrantem. Perijſſet Ezechias, niſi Iſaiæ fidem & gratiam adhibuiſſet Iſ. 38. Perijſſet Heli Sacerdos ſummus, niſi Samuelis pueri vocem acceptans Divinæ voluntati ſe permiſiſſet 1. Reg. 3. Quamdiu veritatem Herodes libenter audiebat, tamdiu ſpes bona ſalutis affulſit, at inſtigante patre mendacij præconem veritatis ſuſtulit, ut ſpes ſalutis ex aula Herodis tolleretur. In bona via Pilatus fuit, quàmdiu veritatis ſcintillam aluit: *quid eſt veritas?* ſed reſponſum non expectavit, nè cum reſponſo certam hauriret ſalutem.

Initium ſalutis in Samaritana fuit, quòd veritatem à Christo liberè dictam libenter audiêrit: *quinque viros habuiſti & nunc quem habes non eſt tuus vir, hoc verè dixiſti* Joan. 4. v. 18. quibus icta verbis mulier reſipuit & à fonte ſalutis apud puteum Jacob veram hauſit ſalutem, quia hauſit veritatem, quam in puteum olim lapſam proverbio dicere ſolemus. Magdalenam pariter audita veritas ex titione inferni in carbunculum cœleſtis gazophilacij transmutavit. audijt Magdalena libenter veritatem non à Chriſto modò, ſed à Simone leproſo, à Martha Sorore & quibus non? ideòque laudatorem habere meruit Chriſtum & patronum & ſponſum.

Initium ſalutis in populo Iſraëlitico fuit Veritas libenter audita, etſi ſeverè prædicata à Joanne Baptiſta, teſte Matthæo & Luca (c. 3. v. 7. apud utrumque) cùm progenies viperarum audirent & ad baptiſmum pœnitentiæ invitarentur ad ponendum malitiæ venenum. Convertit Petrus die Pentecoſtes concione unicâ tria circiter millia, quibus veritatem ſeverè ingeſſit: *Viri Iſraëlitæ audite verba hæc: IESUM*

IESUM Nazarenum per manus iniquorum interemiſtis, quod ſcelus cùm pro merito exaggeraſſet, finijt orationem: *ſalvamini à generatione iſta prava* Act. 2. eo fructu, ut compuncti corde dixerint. *quid faciemus Viri fratres*, En ut principium ſalutis ſit acceptatio veritatis.

§. 7. *Gentiles veritatem libentiùs audierunt, quàm Chriſtiani.*

Condemnabunt in die noviſſimo oſores veritatis Balthaſar & Xerxes, quorum alter Danieli veritatis liberè pronunciatæ gratiâ catenam auream è collo appendit & primos in aula contulit honores; Xerxes verò Demaratum ob veritatem liberè pronuntiatam regiâ coronâ & triumphali pompâ per urbem Sardis donavit, Senecâ teſte l. 6. c. 31. qui enarratam hoc epiphonemate claudit hiſtoriam: *quàm miſerabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret Regi, niſi qui non dicebat ſibi*, Demaratus videlicet vanitatis avidiſſimus Philoſophaſter. Monitus Philippus Macedo, quòd in cœtu publico ſublatâ veſte parum decorè ſederet, reſpondit: neſciebam illum mihi tam benevolum & amicum eſſe. *ridicula ſunt ea, quæ ad veſtes pertinent*, inquit orator aureus, *periculoſa autem & damnoſa, quæ ad animam.* & tamen ſimiles monitores non impatienter accipimus, qui autem in rebus ad animam pertinentibus monent, ſunt nobis exoſiſſimi.

Chryſoſt. to. 5. hom. 13

Auguſtus Cæſar intellectâ morte Varri ingemuit: *Nunc qui mihi veritatem dicat, non habeo.* De Antiocho memoratur, gloriari ſolitum fuiſſe, quòd veritatem inveniſſet. nam in venatione delapſus in abdita ſilvæ, ad ruſticam caſam divertit, hic ab agreſtibus, quibus ipſe ignotus, diſcumbentibus vitia omnia ſua citra fucum enarrari audijt. Manè ubi diluxerat, affluentibus aulicis ſortem ſuam deprædicavit: *Heri primùm ipſam reperi veritatem.* Gaudent reges, quòd vel ſimplici vice audire potuerint veritatem, detrectabunt plebeij veritatem unquam audire? triſtantur Auguſti, quòd non habeant, à quibus veritatis moneantur, triſtabuntur, quòd fortè moneantur chriſtiani? non ego hos Chriſtianos,

ſed nè homines quidem dixero. Cameli ſunt, aquam turbabant, nè ſuam in limpida videant turpitudinem & agnoſcant paroœmialem illam, quæ de camelis apud Hebræos canitur, veritatem: *cùm Camelus cornua habere vellet, aures perdidit* phreneticı ſunt, medicum & medicinam execrantur, ut percant noctuæ ſunt, lucem fugiunt, ut in ſordibus ſuis tutiùs latitent. Rancidæ anus ſunt, ſpeculum horrent, nè ad rugas ſuas expalleſcant *quemadmodum ſpeculum non eſt malum deformi,* inquit Clemens Alexandrinus, *quòd ipſum oſtendat qualis ſit, & quemadmodum medicus non eſt ægrotanti malus, quòd ei febrem annunciet, ita nec mala eſt veritas,* ſed mali imò peſſimi ſunt, qui veritatem oderunt, ſerpentes & genimina vjperarum ſunt, aures occludunt, nè vocem ſapienter incantantis audiant. ſœtus dæmonis ſunt, parenti ſuo ad amuſſim ſimiles, qui ſicut in exorciſmis horret, ſtridet, ringitur, cùm veritati dare locum compellitur, nec audire pacificè poteſt verba illa à quocunque hominum ingerantur, quæ Moyſes conſignavit: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti; & oblitus es Domini Creatoris tui* Deut. 32. v. 18. ita & proles dæmonis à veritate quidem auditum avertunt, ad mendacia verò convertuntur, hæc quærunt, hæc amplexantur & diligunt. Sed audiant hi Romanæ facundiæ principem ita perorantem: *cujus aures clauſa ſunt veritati, ut ab amico veritatem audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt.*

Clem. Alex. l. 1. pædag. c. 5.

Cic. l. 1. de amit.

§. 7. Veritas amanda.

Veritas ſol eſt univerſa illuſtrans, næ ille Cimmerijs dignus tenebris, qui ſolem hunc execratur. Veritas ſal eſt mentes condiens, ut ſapiant, næ ille inſipidus, & putidus, qui ſalem hunc horret, & abijcit. Veritas ſcutum eſt, de quo pſ. 90. v. 7. canitur: *ſcuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno,* ſcuto corpus, veritate anima contegitur contra mali omnis authorem diabolum; non timebis à timore nocturno, à mendacio videlicet, ut interpretatur Hieronymus, quod tenebras amat & pallido plenum eſt timore. Eleganter Auguſtinus: *cùm cœpiſſet veritas tua in orbe*

orbem prædicari, utiq; fremuerunt gentes & populi meditati ſunt inania: occurrit leo fremens & ſuffocatus eſt à te Deus veritatis. hoſtem non timet, qui amicam non horret, ſed pro ſcuto habet veritatem.

S. Auguſt. Conc. in pſ. ...

Veritatem itaque amemus, ut filij Dei ſimus, *qui enim ex Deo eſt verba Dei audit;* veritatem amemus, ut ab omni malo liberemur, *veritas liberabit vos;* veritatem amemus, ut Spiritus Sanctus habitet in nobis, cuius princeps eſt titulus: *Spiritus Veritatis.* verbo: veritatem amemus, ut Sancti ſimus: *ſanctificate in veritate.*

Ioan. 8. v. 32.

Ioã. 16 v. 13.

Ioan: 17. v.

PHILIPPICA XXV.

In bipedes Aſinos.

DOMINICA PALMARVM.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum. Matth. 21. v. 5.

QVæſtio erudita eſt, cur in ſolenni triumpho ſuo Rex gloriæ alio vehi jumento noluerit, quàm aſino. poterat elephantos adhibere ut Pompejus, equos ut Julius, leones ut Tiberius; at aſinum prælegit, qui ſicut palatinus ejus fuit in ſtabulo, & getulus in exilio, ita & eſſedum eſſe debuit in triumpho. volebat nimirum optimus ſervator ultima primis correſpondere, & æqualem naſcens ac moriens genij ſui ſervare tenorem. inſinuat hanc orationem Sedulius: *aſelli ungula non pretio magno, ſed merito tanti ſeſſoris claruit, ſub faſce nobilior, non illius impar, qui medico Chriſtum quamvis cerneret in præſepi, dominum eſſe agnovit.* Alij Reges ab apparatu & pompa plauſum populı captaverunt, nemo aſinæ inſidens gloriam

§. 1. Cur Ieſus aſino uſus in triumpho.

Sedul. l. 4. operis paſchal. c. 20.

 homi-

hominum meruit, præter solum Iesum, qui cùm Rex sit singularis, præter aliorum morem triumphatorum, asinâ vectus laudibus super æthera meruit evehi. Rationem hanc suggerit D. Cyrillus: *nulli sunt reges, qualis IESVS. dat igitur nobis signum, quod alij reges non habeant. Solus Regum Iesus super pullo asini sedit, & solemniter cum benedictionibus tanquam Rex in Hierusalem ingressus est.* hæc Cyrillus. Venit Rex pacificus damnans bella & pacem mundo indicens, ideòque pacifico animali usus est. audiamus Chrysostomum istius authorem rationis: *Dominus ascendens Ierosolymam, magnam gratiam pacis & concordiæ mundo universo, quasi in testamento reliquit: non sedet in curru aureo, pretiosâ purpurâ fulgens, neq; ascendit super fervidum equum discordiæ amatorem & litis, qui de longè odorat bellum & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit sanguineam pompam, dicit in corde suo: bene est factum. sed sedet super asinam tranquillitatis ac pacis amicam,* ex asino velut magistrali cathedra docet Magister divinus, quales esse debeant homines, ut asinis deteriores non sint, sed apti, quibus Iesus insideat & agat triumphum. habet enim verò asinus proprietates quasdam à natura congenitas, quas si virtutis amore ac studio in se homo exprimeret, nae is Servatori suo in jubilum solatiumq; cederet, cum eoque immortales honores mereretur. Verùm pleriq; mortales & asinis omnibus deteriores, non comparari solummodo & assimilari jumentis insipientibus possunt, sed ijsdem longè postponi. Contra quos dum acriùs invehor, dicent non dubito mihi plurimi, quod Augustino quondam materiam eandem pertractanti dictum fuit, quibus idem prorsus repono, quod Augustinus ita in ps. 33. locutus: *esto jumentum Domini. dicent mihi aliqui superbi & elati: ecce asinos nos fecit. sit asinus Domini: quicunq; hoc dicit, nè sit equus, & mulus, quibus non est intellectus.*

Cyrillus Catech. 12.

Chrysost. hom. 37. in imperf.

§. 2. *Asino deteriores sunt, qui*

Privilegiatus in scripturis est asinus atque ab immolatione cruenta eximius, ita definiente in gratiam & vitam asini legis-

legislatore Deo: *primogenitum asini mutabis ove.* Ex. 13. v. 13 occidatur passer & turtur, occidatur bos, Agnus, hircus, at non occidatur asinus; sed eidem ovis substituatur: nè jumenti utilissimi usus & numerus in populo electo accidatur. nec in sacrificijs tantùm, sed in prælijs pariter asinis parci Deus voluit, hinc cùm equos hostium captos subnervari jussisset, Josue. 11. v. 6. asinas tamen servari mandavit Num. 31. v. 23. cur verò in sacrificio redimi asinum Deus præceperit, rationes varias assignant interpretes, tum quòd Deus asellos à matre avelli noluerit, nè matrem affligeret; nullum enim animal ita amat proles suas, sicut asinus & simia, tum quòd eâ ratione Hebræos à cultu Priapi abstrahere intenderit, cui asinus immolabatur teste Ovidio Fast. 1. *Hellespontiaco victima grata Deo.* præplacet tamen ingeniosior Vincentij Belluacensis assertio, qui asinum idcirco à cæde eximium censet, quia auspicium vitæ, *crucem*, in dorso congenitam gestat: *quia crucem habet in anteriori dorsi parte super humeros*, nativâ cruce velut scuto vitali sese asinus tuetur adversùs intempestivæ mortis insidias. servavit olim primogenitos Israëlis in Ægypto, adversùs fatalem Angeli percutientis manum, signum crucis agnino sanguine postibus domorum illitum, ut docet D. Hieronymus in c. 66. Isai. de crucis signo agens: *hoc & postes domorum in Ægypto signabantur, quando pereunte Ægypto solus Israël mansit illæsus*, unde & consecutis postea temporibus litera Tau hoc crucis signum Ægyptijs auspicium vitæ & absolutionis character fuit; servavit eadem litera tau frontibus virorum gementium à bono Angelo inscripta adversùs vindicis justitiæ gladium, ut Ezech. 9. v. 6. videre est. servavit idem vivificæ Crucis signum asinos, nè cæterorum more jumentorum cruenta caderent victima. Discant ab asino stolidi homunciones signum crucis gestare ac conservare, ut vicissim crucis beneficio à morte & interitu vindicentur. Est hodie compluribus, non dico judæis & gentibus, sed

crucis signum aversam.

Belluac. l. 18 c. 10.

Christi nomen & fidem professis crux scandalo, cujus videlicet publicum & crebrum execrantur usum; verùm scandalo ijsdem non foret crux, nisi pleni ipsi stultitiarum essent atq; scandalorum, ideoq; in malam crucem præscitæ victimæ. Manum S. Edmundi immanis dæmon tenuit, nè ad formandam crucem extendi posset, manum & animum etiamnum plurimis dæmon retinet, nè salutari signo muniantur. Gestant crucem in tiaris Pontifices, in diadematis Cæsares, in sceptris Reges, gestant crucem in frontibus suis electi omnes, & erubescunt cruce se signare putridi quidam & asinis omnibus stolidiores mortales? nimirum hæc fraus dæmonis est, qui ut animos eorum & corpora tanquam possessor legitimus occupet; crucis signum ab ijsdem quàm longissimè removet, in quo videlicet signo vincendum se & plusquam flabro muscam, aut flagro canem novit esse abigendum.

§. 3. *Asinus S. Reguli crucem pede format, nè à dæmone possideatur.*

Narrat Vincentius hist. l. 10. c. 29. S. Regulum Silvanectensem Episcopum, à D. Clemente in Gallias missum, à Sylvanectensi matrona, cui Galliciæ nomen, ardentissimis precibus postulatum fuisse, unigenitum ejus à malo hospite, à quo nimiùm quantùm cruciabatur, liberare dignaretur: Recitavit S. Regulus super energumenum orationem Dominicam, ac symbolum Apostolicum, ijsque precibus dæmonem, in vespertilionis forma exegit. at stygius hic vespertilio vindictæ avidus in asinum S. præsulis, quo is labore itinerum fessus vehi solebat, ingressum molitur. Quid agat adversùs infestum vespertilionem asellus? res mira, & nisi tantorum staret authoritate virorum penè incredibilis; signū crucis dextro pede in terra efformavit asinus, & quasi Deum adjutorem invocaret, erecto in cœlos capite vehementissimè rudere cœpit, qua arte effugatus vespertilio est, magna infidelium pars Christo addicta, atque ad baptismi gratiam una cum puero à quo dæmonem S. Regulus ejecerat, feliciter

admissa.

admissa. Vtinam hujus asini mandibulâ novus aliquis Samson frontem omnium eorum signaret, qui crucis insignia efformare negligunt, ideoq; in pabulum & possessionem pessimo genio cedunt. Dæmonem in lactuca, quam cruce priùs signare neglexerat, Sanctimonialis voravit, à quo cùm per Equitium Abbatem liberanda esset, exclamavit mordax hospes: *ego quid feci? sedebam super lactucam, venit illa & momordit me!* nescis quid vores, nisi cruce priùs signes & ores, quã ori inijcis offam & cupediam. Coloniæ puella annorum 16. cibum cruce non signans primo in morsu muscam ori illatã sensit, quam cùm ejcere non valeret, deglutijt, & quot fecerit musca unica muscas in afflictissimo, licèt virgineo, corpore persensit. Religiosus Laicus ex sanctissima D. Dominici tunc superstitis familia, dæmonem in vino hausit, quia hoc absque cruce prævia potare præsumpsit. Nimirum periculosè bibitur, si vitali signo haustus non muniatur. dedecentiùs asino bibit, qui signo crucis destituitur, dum bibit; ut cibus & potus conducat sitq; saluti, Salvatoris benedicti nè neglige signum, in hoc enim signo edes, bibes, vives sanctè salubriterque.

S. Greg. l. 1. Dialog. c. 4.

Nider. l. 5. formicar. c. 11.

Iacobus Episcopus Genuensis in vita S. Dominici.

§. 4. *Deteriores illi asino sunt, qui irreverenter coram Eucharistia versantur.*

Celebris in scripturis Asina Baalami est Num. 22. à v. 21. quæ viso Angelo evaginatum stringente gladium *concidit sub pedibus sedentis*, sive quòd sacro percelleretur horrore, & transitum aliudve effugium non videret, sive ut debitam Angelicæ celsitudini exhibendam reverentiam doceret. impatiens ad hæc sessor impius stimulis & verbere urget bestiam, validoq; fuste latera quatit. rupit asinæ vocem indignatio movente linguam Angelo, ut sicut os serpentis ad loquelam dæmon moverat, & sicut Angelus bonus os serpentis hippocentauri & satyri gubernârat ad viam in Eremo demonstrandam Antonio, quâ ad Paulum primum eremitam perveniret, ita asina movente linguam Angelo loqui potuit, intolerandamq; Baalamo stoliditatem exprobrare. *Asina*

rover-

retardata Angelum videt, inquit D. Gregorius, *quem Balaam ver-*
S. Greg. 3. part. Past. admon. 13. *dum videbat, quia plerumq; caro tarda per molestias flagello suo menti*
indicat Deum, quem ipsa carni præsidens non videbat. Vel quia præ
asinis cæcutiunt homines ad viam voluntatis Divinæ obser-
vandam & legendam. Voce asinæ utitur Deus, ut bruta mens
Nyss. l. de Vita Moys. in fin. per brutum doceatur, vel quod Nyssenus scripsit, ut erudia-
tur & castigetur auguris vanitas, qui asinæ ruditum & avium
garritum quasi futurorum omina omnia observare solebat,
quam verò insolitâ & articulatâ voce præferebat ex instin-
ctu Numinis asina veritatem non attendebat. Itâ brutis ma-
gis brutescimus, cùm veritatem excipere monemur. Deniq;
casus asinæ irreverentiam multorum arguit, quam præfe-
runt, cùm in conspectu Angelorum psallunt, imò in tre-
menda Regis Angelorum sub velo Eucharisticarum specie-
rum latitantis præsentia versantur.

§. 4. Duplex historia. Decantatus est Bonovilli hæresiarchæ asinus, qui post
triduanam inediam genua priùs flexit coram sacrosancta
Eucharistia (quam manu tenebat Divus Thaumathurgus An-
tonius) quàm ad pabulum accederet, ut jejuna hæresiarchæ
confunderetur ratiocinatio, erudireturq; rudis impostor
de reali Deihominis sub speciebus Eucharisticis præsentia.
Habeat asinum magistrum, qui habere non vult Antonium.
Recentius est, quod non ab uno asello, sed à grege integro in
p. 4. histor. Societatis anno 1572. honorem Venerabilis Sacramenti gestum est in villa Salzan
Venetæ ditionis. Illuc Sacerdos Societatis nostræ ad ægro-
tum deferebat cœleste viaticum sinè pompa & comitatu;
cùm ecce aselli pabulantes relictis pascuis obviam sacerdoti
occurrunt, quasi sensissent Numinis Eucharistici præsentiam,
& ex utroq; viæ latere discreti in genua repentè procumbunt.
Attonitus rei novitate sacerdos medius per mites quadrupe-
des ambulabat, quæ præcedentem secutæ usque ad ædes æ-
groti sunt, ante quas constitêre tamdiu, donec reversus ab
ægro sacerdos ad pascua lætas cum benedictione dimitteret.

Flexe-

Flexerunt genua asini, non flectunt mali Christiani, quibus Philip. 2. v. 10.
tamen per Apostolum præcipitur: *In nomine Iesu* (multò
magis in honorem corporis Iesu) *omne genu flectatur*, & per Is. 45. v. 24.
Isaiam demandatur: *mihi curvabitur omne genu.* num plus asi-
nis sapiunt homines? imò & asinis magis desipiunt & dæmo-
nibus magis insolescunt; hi enim credunt & contremiscunt,
illi nec credunt nec timent. Elephantos se exhibere malunt,
quibus nulla in genibus curvatura, quàm asinos; at dum ele-
phantos referunt, elephantiasin contrahunt, à quibus utinam
asinorum sanguine (exemplo volo dicere) curentur. Pudor
ingens Christiano nomini est, inveniri vel pauculos, qui
tantam in templis exercent irreverentiam, qualem nec tur-
cæ in moschæis, nec ethnici in fanis, nec dæmones ipsi un-
quam committere visi sunt. O si liceret cœlestibus sese im-
miscere cohortibus, facilè ab ijs disceremus, quo cultu cœli
principes Dominum suum colant, quove nos viles vermicu-
li, nos vasa putredinis, nos sacci stercorum, nos sentina sor-
dium, tremendum in templis suis Dominum colere debea-
mus. Vidit Joannes apertum Cœli ostium & sedem posi- Apoc. 4.
tam, cui Rex gloriæ, insidebat. Cùm ecce mox adsunt se-
ptem ardentes lampades, qui sunt septem spiritus Domini;
quatuor animalia faciem leonis, bovis, aquilæ & hominis
præseferentia; viginti quatuor seniores coronis aureis redi-
miti; Angeli in circuitu & turba electorum innumera. quid
agunt singuli? Seraphini continuo amore ardent, ideoque
per septem ardentes lampades signantur. Cherubini sive a-
nimalia quatuor requiem non habent, sed sinè fine procla-
mant: sanctus, sanctus, sanctus. seniores seu potestates, do-
minationes, atque principatus coronas suas ante sedentem
deponunt; Arch-Angeli & Angeli proni sternuntur; uni-
versa turba acclamat. *salus Deo nostro & qui sedet super thronum.*
Erubesce hic ignavia Christiana! idem Deus in nostris tem- ps. 10. v. 5.
plis, qui in cœlis est: *Dominus in cœlo sedes eius, Dominus in*

templo

templo sancto suo, cur ergo tam irreverenter oculos, os, verba in præsentia illius jactas? si Seraphinus es, vide, ut in præsentia DEI tui cor animusq; velut lampas succendatur. Si Cherubinus es & conscius tibi laborum pro Deo toleratorum, ut bovis referas speciem, vel fortitudine Christiana præditus, ut leonis exhibeas simulachrum, vel cœlestium contemplationi addictus, ut aquilæ imaginem referas, vel vitam homine dignam agas, ut revera sis, quia audis *homo*! nihilominùs Deum tuum agnosce! inclama: sanctus, sanctus, sanctus! si Princeps es, si Rex, si Imperator coronam tuam ante altaria sterne. Si angelus, in terram procumbe. si unus de populo DEI, salutem DEO & agno dicito! procul garritus, procul cachinni, procul omnis petulantia; sicubi, hic certè nunquam levis. *Dominus in cœlo, Dominus in templo*, at eheu qui colitur in cœlo, contemnitur in templo, proh pudor, proh vesania, proh impietas! Ignes illi seraphici libenter ad gloriam Dei uruntur, titiones verò inferni flammam salutis non admittunt. Cherubini pleni oculis suæque certi salutis oculôs ante Deum levare non audent, vespertiliones & noctuæ in omnem lucem suos audacissimè oculos jactant. Principes Gloriæ adsternuntur solo, mancipia sordidissima in altum surgere nituntur. Discite mortales à cœlo, quid agendum in cœlo. sed quid ego in cœlum haud moratos nostros induco, in stabulum Bethleemiticum satius fuerit eosdem relegâsse, ubi bos & asinus (Bonaventuræ sensum refero) in præsepio præsentem & recèns natum Christum Dominum suum & nostrum peculiari cultu honorârunt, eidem se inclinando, fœno eum tegendo, halitu calefaciendo, alijsq; modis serviverunt. *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit.* Discant ab asino non tantùm Dominum, sed præsepe Domini venerari ac scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, adorare qui stolidiores omnibus asinis haberi nolunt.

Bonav. apud Corn. in Is c. 1 pag. 50. columna 2.

Is. 1. v. 3.

In

§. 6. Asinorũ gnavitas, inedia, cautela confundit pigros, gulosos, temerarios.

In immensum, ut video, excurret oratio, si cæteras asinorum proprietates prosequi placeat, ut ex ijs ignavia hominum arguatur. at stringamus in compendium. Asino forti comparatur Issachar à morituro Jacob. Gen. 49. v. 15. *Issachar asinus fortis supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis serviens.* Commendatur in asino fortitudo & laborum tolerantia, ad quos asinus nascitur, nascitur & homo teste hominum patientissimo: *homo nascitur ad laborem.* at hic ipse labor divitias & decorem parit, vitamque homini præparat immortalem. *Issachar asinus fortis* in Chaldæo est: *Issachar dives in substantia*, quasi idem sit, fortem ac laboriosum, quod divitem in substantia esse: laboribus enim DEVS omnia etiam semetipsum (vendit. septuaginta legunt: *Issachar pulchrum concupivit*; solus enim is jure concupiscere potest, quod pulchrum est, qui laboribus non parcit. Per Issachar D. Ambrosius Christum intelligit, quia hic teste Psalmographo *in laboribus à juventute sua* enutritus est, & Mater ejus mulier fortis panem otiosa non comedit; *factus est tributis serviens*, qui & Cæsari tributum exolvit, & Deo patri factus est obediens usque ad mortem. Audiamus, si placet, Ambrosium; *Issachar merces dicitur, & ideo refertur ad Christum, qui est merces nostra. ipse subiecit humerum suum ad laborandum, subjiciens se cruci, ut nostra peccata portaret.* Sit Issachar quisquis imitari Christum, & mercedem laboris ab eodem recipere desiderat. *Sicut Issachar, ita & vir bonus*, inquit Chrysostomus serm. 29. in Matth. *æterna præmia cælestemq; quietem contemplatus, alacriter puerum suum labori subjicit, fitq; tributis serviens, dum operum bonorum tributa persolvit Deo.* Si Issachar quisquis asino deterior videri erubescit. at nunquid torporis ac ignaviæ symbolum asinus est? torpeat asinus naturæ vitio, at verberum metu, aut pabuli illectus illecebrâ naturam corrigit, hominemq; rubore meritò suffundit, qui nec virtutis amore, nec pœnæ formidine compelli semet patitur ad onera & labo-

Iob. 5. v. 7.

ps. 87. v. 16.

res

res; quamvis nec in omnibus aſinis ignaviam deprehenderis, ægyptij enim teſte Scaligero exercitat: 217. tam veloces ſunt ut quotidie 40. milliaria currendo abſolvant, Saracorũ aſini teſte Æliano l. 14. generoſiſſimi, belloq́; cum primis ſũt idonei. Aſinus leonem interimens Alexandro Macedoni vatidicus imminentis augur fati fuit, teſte Alexandro ab Alex. l. 1. c: 13. Aſinus lupum conficiens ſatis ſuperq́; latentem in aſini pectore generoſitatem, aut potiùs magnanimæ fructum obedientiæ manifeſtavit in vita S. Solæ Abbatis; qui cùm non procul Eyſtadio ad Monaſterium Solenhoven pergeret, obſervavit aſellum, quo vectabatur aures arrigere, hærere, horrere. Circumſpicit Abbas quæ horroris cauſa eſſe poſſit, & videt ferocem lupum in vicinum ovium gregem irruptionem moliri. hic Abbas cruce ſe ſignans præcipit in nomine Domini aſello, lupum inſectari & conficere. paret auritus ſervulus, & concito gradu lupum petit, miroq́; duello obluctantem tamdiu urget, dum demum calcibus conficiat. Ecce aſinum lupi domitorem, & ut ſic dicam, ſagatæ Palladis alumnum, videamus & togatæ. Aſinus ammonij, teſte Photio in vita Iſidori, adeò ſcholarum, & poëtices præſertim amans fuit, ut neglecto pabulo ad has diſciplinas properârit. In oppido Pictorienſi aſinus conſcenſo tribunali rudere & multorum judicum ignaviam explodere auditus eſt, apud Ammian. l. 27. c. 2.

Si tamen tardum plerumq́; animal aſinus, ac laboris inediæque patientiſſimum eſt, nec niſì exiguis impenſis victitat, puta folijs, paleis, ſalignis, perticis, carduis, & quæ ceteris animantibus venenum ſunt, ferulis. Ad ferulas, ô gulones! Iuv. ſat. 5. vos aſinus vocat, quibus ut poëta canit: *in ſolo vivendi cauſa palato eſt*,, nec aër totus, mare totum, ſilvæ omnes explendæ gulæ ſufficiunt. Vna ſilva pluribus elephantis ſufficit, inquit Seneca, homo verò vix paſcitur terrâ mariq́;. Gula primum hominem in paradiſo perdidit, gulâ Deũ hominum tentari

& per-

& perverti poſſe Lucifer cenſuit; gula eductum ex Ægypto populum in eremo occidit, *quia deſpecto manna cibos carnium petijt, quos lautiores putavit*: gula muros Jeruſalem deſtruxit. *Muros Jeruſalem coquorum princeps Nabuzardan deſtruxit, quia virtutes animæ dum non reſtinguuntur venter perdit.* Gula Balthaſarẽ & univerſam Babylonem devaſtavit. Dan. 5. gula Philiſthæos oppreſſit Jud. 16. gula primogenitorũ gloriâ Eſau ſpoliavit; gula mundum in diebus Noë ſubmerſit. in diebus Noë edebant & bibebant Luc. 17. v. 27. gula Sodomitas incineravit: *hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia.* apertè oſtenditur, quòd idcirco ſalutem perdidit, quia cùm ſuperbiæ vitio menſuram moderatæ refectionis exceſſit. hæc & plura D. Gregorius l. 3. moral. c. 26. Romani gulones aſellum ventre vivæ matris exciſum in delicijs habuêre, utinam guloſorum omnium cibos cineribus aſinorum conſpergere poſſim (quemadmodum ex cineribus aurei vituli potum Hebræorum Moyſes conſperſit) ut parſimoniam tenuitatemq́; victûs vel ab aſinis imbibant & addiſcant. Inveniō l. 3. Regum c. 13. ſeſſorem aſini prophetam Addo in pœnam gulæ à leone occiſum, nihil læſo aſino. nimirum leo ille rugiens & ferens quem devoret, gulones abligurit, abſtemijs parcit, vitaq́; præ aſinis indignos oſtendit qui aſininã non aſſeqvuntur inediam. at fortè de tempore non erit ſermo hic de gula prolixior.

Num: 11. S. Greg. citand
4. Reg. 20.
Ezech. 16. v. 49.

Non tantùm inediæ patiens ſed & periculorum accuratiſſimus obſervator & cautiſſimus declinator aſinus eſt, in quæ aliquando incidiſſe eundem contigit. Verberari potiùs & occidi aſinus, quàm ad glaciem vel foveam adduci ſe ſinet, ubi vitæ aliquando ſuæ periclitatus eſt. O incurij mortales! nos ijſdem periculis toties capti, in eadem prolabimur; pericula amamus, ut pereamus; foveas fodimus, ut incidamus; ſtygias ultro quærimus undas. Juſto Numinis judicio factũ eſt, ut mille Philiſthæi à Samſone non ſagittâ, non haſtâ,

non

non gladio, sed mandibulâ asini sternerentur; cùm enim invicti Ducis fortitudinem experti toties fuissent, periclitari nihilominus & Samsonici roboris & vitæ suæ voluêre, digni mandibulâ illius jumenti trucidari, quòd cautiùs præ homine pericula vitæ evitat. Et tu ô Samson cur ad asinarios redactus labores vicem asini in mola obire cogeris? didicisses ab asino lubricam glaciem & meretriciam cavere foveam, asinum certè non ageres in mola.

9. 9. *Oculi custodiendi per aures, exemplo asini.*

Denique ut aures Auditorum meorum fatigare aliquando desinam, ad asininam ultro aurem dictionem meam appendo. Nihil auribus charius delicatiusq; asinus habet, his inscribit solemne illud: *Noli me tangere* Cur longas asino aures & profundos oculos Natura providerit, causam assignat Aristoteles & Avicenna apud Geminian. l. 4 de similitud. c. 61. ut se contra corvos tueatur, quos infestissimos oculorum suorum hostes experitur. Non ita oculos asininos corvus, sicut oculos humanæ intelligentiæ dæmon impetit ac repugnantia lumini rationis illa esse objicit, quæ credere fidelis jubetur; contra hanc corvi infernalis vafritiem, objiciendæ aures sunt si sapimus, & quæ capimus intellectu, committenda veracis fidelisque Dei, qui eadem revelavit, authoritati: *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis* Ps. 43. v. 1. auribus fidei nos tueamur (fides enim ex auditu) ut invicti simus. Expectare pueros cum asino infra montem Moria fidelis Abraham jussit, ut sacrificium fidei ac charitatis DEO immolaret; *expectate hic cum asino* Gen. 22. v. 5. ita tentationibus corvinis dicamus, & cum asino expectare jubeamus, donec ascendamus in montem Domini & stemus in loco sancto ejus, ubi videbimus. quæ fideliter credimus, & facie ad faciem intuebimur, quæ in ænigmate speculabamur, dicemusque ad Psaltem: *sicut audivimus, sic vidimus* ps. 47. v. 9. sicut audivimus in Ecclesia militante, sic in triumphante vidimus. Quodsi aures fidei non obser-

observemus, oculos facilè corvus infernalis eruet, cœcatosque in quosvis errores & præcipitia deturbabit. tueamur fidei aures & consūmatorē Iesū lucidis aliquando oculis intueamur, defendantur oculi auribus, nè cœcutiamus in meridie neque rudissimis rudiores jumentis audiamus. Deniq; non erubescamus esse juxta votum Augustini, & exemplum regij Psaltis *jumenta & asini Domini*, ut simus fideles Iesu *crucigeri* atque *Christophori*, cum eòque æternos in Ierusalem coelesti adeamus & canamus triumphos.

PHILIPPICA XXVI.

In peccatores recidivos.

DOMINICA PASCHÆ

Surrexit, non est hic. Marci 16. v. 6.

9. 1. *Cur terræ motus in paschate.*

COgitabam equidem Philippicâ supersedere hodie, neq; festivissimos hoc die, quem Gregorius Nazianzenus *dierum regem*, Ignatius Martyr *dierum omnium eminentissimum*, Laurentius Justinianus *diem præclarum & celebrem, excelsiorem cunctis, sanctiorem universis*, Gregorius Nyssenus *festum universale, cui supra alios dies Dominus benedixit*, faustissimis nominibus appellāt, infestum aliquid dicere. sed requiem non indulsit apis Claræ vallensis Bernardus, qui aculeo suo mentem, ac linguam pupugit, atque suam illam in peccatores recidivos philippicā, quam ipse hac eâdem solennitate pro concione dixerat, repetere jussit, sermonem fore dictitans de tempore, si ad salutarem animorum motum fiat, & terræ motui hodierno correspondeat. quid enim? an non paschalis lætitia ab insolenti motu [illegible]mpsit exordium: *terra motus factus est magnus!* cur con-

concussio tremor, & tumultus in paschate? *modò terra motus magnus* (exclamat Chrysologus ser. 74.) ô *si tunc* (in paradiso cùm ad vetiti pomi esum tentaretur Eva) *vel levis turba arborem mortiferam deiecisset* ! ô *si nebula fumus mulieris illius tenebrâsset aspectum* ! *sed vitijs semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis ; virtutibus verò austera & fortia sunt amica.* Si ergo austerum aliquid hodie cum Bernardo dixero, virtutibus Auditorum meorum favere censebor. Cessit paschalis terræ motus *in occasionem & argumentum festivitatis , ac lætitia* , inquit Procopius, fortè & terror, quem incutiam, meus in lætitiæ cedet argumentum. Age ergo Bernarde , quidquid jubes, suggere, ecce ego vox tua & tuba tua, referam fideliter, quæcunque svada tua mellea non sinè aculeo svaserit enuntianda.

§. 2. *Inconstantiâ multorum tẽpore paschali.* *Surrexit, non est hic.* Quòd de Christo Evangelista dixit, de Christianis multis hodie dici potest, non tamen sicut de Christo dictum est ; hic enim resurgens jam non moritur, illi verò cùm Lazaro ad funus redeunt & sepulchrum. Surrexit hic, iste, ille peccator, & non est hic in telonio avaritiæ, in cæno luxuriæ, in pinnaculo superbiæ , in campo martio iracundiæ, in fimeto acediæ, in ceto seu ventre gulæ, in ossario invidiæ, non est hic in popinis, in prostibulis, in medio societatis pravæ ; die sequenti paulùm de fervore remittit, per fenestras respicit, litterulas acceptat & missitat, mœnia obambulat ; tertia die hæret prope sepulchrum. primâ die cantat *gloria patri*, secundâ *& filio*, tertiâ *& Spiritui Sancto*, post hæc : *sicut erat in principio.* primâ die orat. *beati immaculati in via.* secundâ : *defecit.* quartâ *mirabilia.* denique itur in antiquam vix acto paschate sylvam, & hæc via rectissima ad damnationem certissimumque reprobationis est indicium. (Ios. 3. v. 16.) Dû arca Domini Jordanem transiret, steterunt aquæ, ubi transijt, reversæ sunt in locum pristinum , inque mare mortuum decurrerunt. Aquæ multæ, populi multi stant in transitu Arcæ,

Arcæ, & miraculum sui faciunt in arrepto virtutis proposito ; at transeat Arca, desinat pascha, relabentur in lubricitates pristinas, rectóque cursû mare mortuum petent. ad amarum enim æternæ mortis mare properat, quisquis in veteres ultro relabitur errores. Quoties lapsum suum Saul agnovit, nec tamen stare in virtutis & æquitatis semita curavit, quoties ingemuit : *Peccavi, revertere fili mi David, nequaquam enim ultrà tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie ; apparet enim, quòd stultè egerim, & ignoraverim multa nimis*, nec tamen malefacta, stultitiasque suas seriò posuit , depositus idcircò regno, victorijs, felicitate, vitâ, & de scelere in scelus ruere permissus. (1. Reg. 26. v. 21.) Loquatur Basilius in illa Saulis verba : adducite mihi psaltem : *Ecce*, inquit, *ut ad se rediјt, hastam vibrat, ut Davidem interimat, quasi ad mentem sobriam ideo se recepisset, ut iterum sæviret.* Reprobo Sauli permulti hodie similes sobriam mentem, divinamque gratiam ideò recipiunt, ut turpiùs prodigant. Semei ob maledicentiam suam læsæ Majestatis reus veniam quidem impetravit, & habitare Hierosolymis permissus est , sed ut inde nunquam exiret. (3. Reg. 2. v. 37) *Bonus sermo*, ait Semei , *sicut locutus est Dominus meus Rex , sic faciet servus tuus.* at post triennium dum fugitivos servos insecutus Solymâ excessisset, illico coram Salomone obtruncatus est ; archetypon vivum eorum, qui in gratiam quidem recepti sunt, sed eâ conditione, ut in visione pacis permaneant, quâ si nescio cujus emolumenti proprij specie illecti exire præsumant, mortis fiunt victimæ.

§. 3. *Recidivi intempestivâ plectuntur morte.* Experientiâ plurimorum constat non æternam tantùm, sed & temporaneam ac improvisam incurrere mortem, qui in pristina scelera relabuntur. Sunt enim viri sanguinum, rei corporis & sanguinis Christi, sunt viri dolosi , qui non dimidiant dies suos. exemplum non ita vetus est, quod ex Paoletto narrat Kiselius de adolescentibus petulcis, qui quòd die sacerrimo paschatis sacrâ synaxi refecti, nihilominùs (Alv. 2. conc. 22.)

eodem veſpere popinam adijſſent, ab erumpente è faucibus ſanguine ſuffocati ſubitaneâ morte interiêrunt. Decidit autem eâdem horâ grando terribilis cum ſerpentibus, cujus ſupplicij cauſam vir quidam ſanctus reſcire deſiderans, ab aſpectabili Angelo edoctus eſt: *in die ſancto paſcha communionem receperunt, & poſtmodum contra ſeipſos, & ſacramentum Altaris in potu & luxurijs deliquerunt.* en ut viri ſanguinum in ſanguinibus ſuis pereant, & non dimidient dies ſuos. *Inde ſumenda nobis exempla, nè ad deploratas revertamur peccatorum illecebras,* inquit S. Cyrillus Alex. l. 9. in Ioan. Narrat Thomas Cantipratanus teſtis oculatus pœnitentium ſuorum unum aliquem à voluntaria mollitie in paſchate abſolutum, quam abſolutionem importunè à Thoma extorſerat, cum ſecundo paſchatis feſto in idem flagitium relaberetur, horrendum exclamâſſe: *Vindicta Dei ſuper me, vindicta Dei, vindicta Dei ſuper me!* atque inter hæc lamenta infelicem animam exſpuiſſe.

Delrio l.14. c.4. Argentorati decem hæretici illorum de fæce, qui ſe à quinto Evangeliſta *Evangelicos* vocant, per luſtrationem candentis ferri hæreſeos convicti, ad incendium damnati ſunt. Vanus eorum à Nobili Catholico hiſcè verbis increpitus & ſubriter commotus: *miſerrime reſipiſce, nè de igne eas ad ignem* ejuravit itaque hæreſim ſectarius & ecce ambuſta manus è veſtigio cælitus ſanata eſt. dimiſſus redijt ad uxorem, quæ increpans virum, levitatem animi abjecit, inque errores priſtinos impulit. Verùm ut reſumpſit errorem apoſtata, protinus ignis cæleſtis & illius & uxoris manum adeò amburſit, ut cùm domi vociferari non auderent, in ſylvas profugi tanquam lupi ulularent. Quo clamore proditi, & in civitatem retracti, in ignem nondum planè ſopitum, quo cæteri novem conflagrârant, injecti ſunt. Non niſi ignibus digni ſunt, qui fomitem inconſtantiæ alunt in pectore, & fumum vanitatis oſtendunt in opere.

Turpe eſt mentiri hominibus, turpius Deo; *mentientur tibi*

tibi inimici tui pſ. 65. v. 3. & pſ. 80. v. 16. *inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula.* in quæ eleganter S. Auguſtinus: *qui ſunt inimici? canis reverſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti, hoc eſt, inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula, non intelligo niſi ignem æternum, de quo dicit: ignis eorum non extinguetur.* Alapam pro mendacio impingunt homines, Deus verò ipſa capita mendaciſſimorum nebulonum conterit, & nè capillo eorum quidem parcit: *Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis* pſ. 67. v. 22. in delictis perambulant, qui in *vitioſum* priorum flagitiorum *circulum* redeunt, & horum capita non tantùm Deus vindex confringit, ſed neque capillum inultum eſſe ſinit. capillos ſuos Samſon perdidit, quia tertiùm fallaci Leræ credidit, in capillis Abſalon perijt, quia in priores tones nequitias, quarum veniam optimus parens gratioſè dederat, quaſi paternam gratiam pili duceret, turpiter redijt. Nec bonus pilus in ijs omnibus eſt, qui pro re nihili priſtinis flagitijs conſenſum præbent.

Recogitarent utinam recidivi graviſſimam ſententiam eximij piiſſimique Theologi Molinæ *to. 1. q. 9. de pœnis.* unum recidivæ peccatum par eſſe omnibus antè remiſſis ſceleribus, ita ut ſi centum millia, aut centies millena millia, imò millies millena millionum millia peccatorum lethiferorum in aures confeſſarij depoſuiſſes, ab ijſque abſolutus eſſes, unicum poſt acceptam ritè abſolutionem denuò patratum, priora omnia enormitate ſua adæquet. probat id ſervi debitoris, quem Matthæus c. 18. deſcribit exemplo; is enim licet debitorum omnium remiſſionem accepiſſet, *ſerve nequam omne debitum dimiſi tibi*, nihilominus quòd novo ſeſe rurſus debito obſtrinxerit, mulctam eandem ſubijt, quam pendere debuiſſet, ſi nullius remiſſionem debiti impetrâſſet. *Cogita graviorem culpam eſſe poſt veniam* (verba Chryſoſtomi) *renovatum vulnus pejus dolere poſt curam; moleſtius hominem ſordidari poſt*

§. 4. *Unum recidivæ peccatum omnibus aliis gravius.*

Chryſoſt. de lapſu primi hominis.

gratiam. Propugnant Molinæ ſententiam & gladifer Paulus,
& claviger Petrus; hic quidem indubitatè aſſerens; *melius*
2. Pet. 2. v. 20. *erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum*
reverti. graviùs ergo peccat recidivus, quàm qui pœnituit
nunquam; ſicut aptior regno Dei eſt, qui manum aratro
non applicuit, quàm qui reſpicit poſtquam applicuit. Pau-
Heb. 6. v. 6. lus verò relapſum adeò enormem eſſe docet, ut veniæ locus
vix ſuperſit: *impoſſibile eſt eos, qui prolapſi ſunt, rurſus renovari ad*
pœnitentiam. Cur impoſſibile ô Apoſtole? reſpondet pro Pau-
lo Macarius hom. 2. quia in profundiſſima peccata delabun-
tur recidivi, quæ planè deſtruunt pacem cum Chriſto, & quaſi
quandam neceſſitatem peccandi inducunt. Permittuntur re-
cidivi juſto Dei judicio in graviora ſemper ſcelera promere,
ut theſaurizent ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judi-
cij Dêi: Minatus id Deus eſt. Ezech. 3. v. 20. *Si converſus iu-*
ſtus à iuſtitia ſua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum
coram eo, ipſe morietur, in peccato ſuo morietur. offendiculum po-
S. Bern. ſer. 2. de aſſumpt. nere, ait Gregorius, eſt nolle à peccato liberare. *Audi!*
inquit Bernardus ſuper verba Apoſtoli, *recidere, quàm incidere*
eſſe deterius. Fiet filius gehennæ multipliciter, qui poſt Indulgentiam
delictorum in eaſdem denuò ſordes inciderit; quaſi dicat mellifluus
Doctor, infernum ordinarium plectendis recidivorum flagi-
tijs non ſufficere, ſed novo & acerbiori opus eſſe. hinc illa
Ioan. 5. v. 14 tam crebra Salvatoris monitio: vade jam ampliùs noli pec-
care, nè deterius aliquid tibi contingat.

§. 5. *Recidivus, in figura Solymæ dicitur.*

Miſerrimus recidivorum ſtatus eleganti typo expreſſus eſt
apud Ezechielem c. 16. v. 6. ſub figura impiæ ſolymæ, quæ
ijsdem toties peccatis ſe obſtrinxerat: *tranſiens per te, vidi te*
conculcari in ſanguine tuo, conculcatur recidivus à dæmonibus,
conculcatur à proprijs concupiſcentijs. conculcatur à beſtijs
terræ à ſanguine ſuo, *in peccatis ſuis,* inquit Origenes, vel quod
longè probroſius eſt, conculcatur in ſanguine Chriſti, quo
priùs ablutus, ornatus, ſaginatus eſt; tranſit benigniſſimus
Salva-

Salvator in hoc præſertim *paſcha,* ſive tranſitûs die, dolet &
ſentit animam, quam ipſe ad imaginem ſuam creaverat, con-
culcari in ſanguine; animam, quam ipſe pretioſiſſimè rede-
merat, conculcari in eodem, quo redempta eſt, ſanguine;
animam, quam præſtantiſſimis gratiarum Cimmelijs, tanquã
ſanguinis ſui pretio exornaverat, conculcari in ſanguine ſuo,
& miſericordiâ motus ſvaviſſimè eandem alloquitur: *in ſan-*
guine tuo vive, imò in ſanguine meo vive, *multiplicatam quaſi ger-*
men agri dedi te, formoſam ex gratia, divitem ex meritis, fœ-
cundam ex chariſmatis feci te, ut quamdiu hæc tibi pulchri-
tudo conſtitit? & *tranſivi per te & vidi te,* tranſeunte paſcha
denuo conſideravi te, *& habens fiduciam in pulchritudine tua for-*
nicata es in nomine tuo, præfiſa gratiæ & clementiæ meæ, præ-
fiſa viribus & propoſitis tuis *in nomine tuo fornicata es,* ob præ-
fidentiam videlicet & temeritatem tuam periculis peccandi
ultrò te exponendo. quid porrò poſt omnia expectandum
eſt? *& accidit poſt omnem malitiam tuam væ væ tibi, ait Dominus De-*
us v. 23. non ſimplex væ, ſed multiplex in eos fulminatur, qui
acceptâ toties veniâ auditoque gratioſo illo verbo: *vive* in Rom. 7. v. 13.
mortifera ultrò redeunt ſcelera, ut fiat ſupra modum pec-
cans peccatum.

§. 6. *In recidivos Deus irã velut aquã effudit.*

Gravitatem peccati inde deducit Tertullianus l. de pœ-
nite: 5. quòd recidivus manifeſtè dæmonem Deo præferat,
cùm utriusq; jugum ſubiêrit, utriusque delicias deguſtârit,
apud utrumque ſtipendia fecerit: *Nonne (quod dicere quoq; pe-*
riculoſum eſt, ſed ad ædificationem proferendum eſt) diabolum Domino
præponit? ingenioſiùs adhuc Salvianus l. 4. de pœnit. gravita-
tem recidivæ deſumit ex eo, quia relapſus ipſiusmet pœni-
tentiæ pœnitere videtur: *taliter fermè omnia agunt, ut eos non*
tam pudeat pœnitentiam criminum antè egiſſe, quàm poſtea ipſius pœni-
tentiæ pœnitere: nec tam priùs pœnituiſſe, quòd male vixerint quàm
poſtea, quòd promiſerint ſe bene victuros, & hinc ira vehementiſſi-
ma ſpretæ iuſtitiæ conſurgit. *Facti ſunt principes Iudæ, quaſi aſſu-*
mentes

mentes terminum Oseæ 5. v. 10. terminum ponit delictis suis pœnitens, cum peccata confitetur, ideóque principibus Judæ adnumeratur; Juda enim *confessio* interpretatur, Confessio autem principes & reges nos facit; *non auferetur sceptrum de Juda*; terminum, inquam, ponit delictis suis pœnitens, in quo cum denuò labitur, terminum illum suum: *non plus ultra* assumit. & in alia temporum spatia transponit. audiatur Theophylactus insignis propheticorum verborum interpres: quando verò quisque princeps Juda confessus fuerit ac promiserit, se non ijsdem pravis studijs admoturum mentem; idque secum decreverit, & iterum transmoverit tales fines, ac reversus fuerit instar canis ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur (subjungit enim Oseas: *super eos effundem, quasi aquam iram meam*) perinde ac rubri maris unda effunditur supra Pharaonem, quia sæpius fuerat mentitus. hæc Theophilactus: Effundit Deus iram in recidivos, sicut effudit in Ninivitas, quos post annos 60. à prædicatione Jonæ, per prophetam Nahum commoneri rursum fecit, cúmque obstinarentur in scelere, excitato terræ motu, effusis à desertò aquis, delapsisq; cœlo ignibus, ut docent Sancti Hieronymus, Epiphanius, Dorotheus, penitus submersit, ac consumpsit. Cujus eversionis præsagus Tobias senior ita Filium suum præmonuit c. 14. v. 6 *fili ego morior, post meam mortem in urbe hac ne remaneas. prope erit interitus Ninive, video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.* utinam eidem à me super urbe hac repeti nunquam possit. sed jam finem faciamus dicendi.

§. 7. *Invectiva S. Bernardi elegantissima ser. 1. in die Pascha colum. pag. in med.*

Bernardi tonitrua & fulmina sub initium dictionis promisi, & orationem ejus paschalem in recidivos repertere statui, ubi mansit oratio? in coronidem dictionis meæ servavi, ut quidquid à me hactenus dictum est, aut dici potuit, palam constet à mellito Doctore breviùs ac nervosius dictum fuisse. Loquere ergo Bernarde, imò tona, fulgura, fulmina adversus

sùs recidivos peccatores: Pascha, quod celebramus, transitus non reditus interpretatur, & Galilæa, ubi videndus nobis promittitur, qui surrexit, non remeationem sonat sed transmigrationem quid nos dicimus, qui sacram Domini resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magìs, quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctioni & orationi, gravitati & abstinentiæ dediti: cæterorũ negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi: complantari ei denuò sumus per Baptismum quendam lachrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodo vivemus adhuc in illo? si negligentias planximus, quid causæ est, ut recidamus nunc in easdẽ? inveniemur nunc iterum curiosi ut antè, verbosi ut antè, pigri & negligentes ut antè: vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitijs, quæ tam anxiè deploravimus his diebus. Lavi pedes meos: quomodo iterum inquinabo eos? Exui me tunicam meam: quomodo induam eam; non est transmigratio hæc fratres: non sic videbitur Christus, non hoc iter, quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cujus invanum accepto nomine dicuntur Christiani, toto hoc tempore quadragesimali ad instantes inhiant dies resurrectionis, heu, ut liberiùs indulgeant voluptati. Obnubilat fratres, solemnitatis lætitiam materia tristior: sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus, nec in ipsa; imò minùs in ipsa. Proh dolor, peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur: & laxantur concupiscentijs frena: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis?

piſtis? Venturo parâſtis hoſpitium confitentes peccata cum
gemitu: caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes; &
ecce ſuſceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, pri-
ores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio eſſe po-
teſt luci ad tenebras, Chriſti cum ſuperbia, cum avaritia,
cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum for-
nicatione. Quid enim minus, præſenti debetur, quam ven-
turo? Quid minus reverentiæ reſurrectionis tempus exigit,
quàm paſſionis? ſed vos (ut manifeſtum eſt) neutram hono-
ratis. Nam ſi compateremini & conregnaretis. Nunc autē
ex ſola conſvetudine temporis & ſimulatione quadam hu-
miliatio illa proceſſit, quam non ſequitur exultatio ſpiritu-
alis. Propter hoc crebra in diverſis regionibus hominum
mortalitas, ſpecialiter his diebus. Quid enim? deprehenſi e-
ſtis, inter anguſtias prævaricatores, non qui prævaricati eſtis
ſed qui perſiſtitis in peccato, addentes prævaricationem, aut
penitus impœnitentes, aut tepidè pœnitentes: nec pericula
fugientes, vel poſt miſeram experientiam incentiva peccati.
Irretivit vos inimicus perplexis (ut ait ſcriptura) verbis re-
ſticulorum. Si hâc conſcientiâ Chriſti Sacramenta refugitis:
nihil vobis commune cum Chriſto, non habetis vitam in
vobis, Ipſum audite dicentem: Niſi manducaveritis carnē
filij hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam
in vobis. Si indignè ſuſcipitis, judicium vobis manducatis,
ſanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo prævarica-
tores ad cor, & in toto corde quærite Dominum & odite
malum: pœnitentes non verbo tantùm & linguâ, ſed ſpiri-
tu & veritate. Quia verò non ſatis cecidiſſe piget hominē
(ut videtur) qui adhuc manere diſponit in lubrico: aut ce-
râſſe, qui ducem non quærit, ſit veræ compunctionis indici-
um, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis. Alioquin
timendum valde, nè dies iſta (ſiquidem & ipſa poſita eſt in
ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël) reprobet vos

vel tanquam commanifeſtè alienos à Chriſto, Chriſto non
communicantibus, vel tanquam ſocios Judæ, in quem intra-
vit ſathanas poſt buccellam.

Vos ergo chariſſimi ſi conſurrexiſtis cum Chriſto; quæ
ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram: ut quemadmodū
Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos
in novitate vitæ ambuletis: ut à ſæculari lætitia & conſola-
tione mundi per compunctionem & triſtitiam, quæ ſecun-
dum Deum eſt, ad devotionem ſanctam, & ſpiritualem vos
tranſire gaudeatis exultationem: ipſo præſtante, qui tranſivit
ex hoc mundo ad patrem, & nos quoque trahere poſt ſe, &
in Galilæam vocare dignatur, ut ſemetipſum nobis oſtendat,
qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula Am.

PHILIPPICA XXVII.

In Luciones.

QVOS VVLGO INTERESSATOS VOCANT

DOMINICA EADEM.

Nolite expaveſcere, Ieſum quæritis Nazarenum Crucifixū
Matth. 16. v. 6.

§. 1. *Cupiditas lucri ferè omnibus cōmunis.*

TAndem aliquando in paſchate invenio, quos per totum
fruſtra inquiſiêram annum, homines, qui Ieſum, & non
ſe quærerent, propter Ieſum potiùs quàm Lazarum accurre-
rent, benevolentiæ & non concupiſcentiæ ferrentur affectu.
Mulieres enim audio angelico commendari teſtimonio,
quòd Jeſum quærant, ungendoq; ſacro corpori aromata ap-
portent, nullius cupidine lucri, ſolius amore Magiſtri; cùm

tamen de omnibus pronuntiet generatim Apoſtolus: *omnes*
Philipp. 2. v. 21. *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ IESU Chriſti.* omnes? ergo Chriſtiani pariter ac Ethnici, Religioſi ſimul & Laici, ſacri profanique lucro proprio inhiant? *omnes quæ ſua ſunt quærunt.* ergo neque Pontifices & reges, ſapientes & theodidacti ab hac cupiditate eximij? *omnes quæ ſua ſunt quærunt.* ergo & tu Apoſtole lucrum tuum inquiris? quærerem, reponit, ſi ego mihi viverem, *ſed vivo ego iam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, qui gratis per gratiam juſtificavit me, & docuit redamare gratis. Qui gratis amat, angelico digniſſimus eſt ſolatio: *Nolite expaveſcere IESVM quæritis Nazarenum Crucifixum.* hæc enim ſumma eſt charitatis *amare gratis.* Qui ſic amant, veriſſimum cum Ieſu paſcha celebrant & cum Paulo dicere habēt: *vivo ego iam non ego.* Qui ſic amant, glorioſam expectent anaſtaſin, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem. Verùm quia gratis amantium rariſſimus in terris eſt numerus, innumera verò eorum ubivis turba, qui, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, contra hos feſtiviſſimâ hac luce agere inſtitui, cùm ipſam hanc lucem turbare conniſi ſint improbi luciones, qui pecuniâ corrupti judaicâ ſparſerunt in vulgus: *quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum.* Matth. 26. v. 13.

§. 2. *Cupiditas lucri eſt mater diſcordiarum*

Nullum eſt vitium, quod in rem publicam plures inducat calamitates, quàm lucri proprij cupiditas. Cor unum & anima una primis Chriſtianis erat, quia de proprio emolumento nihil ſcire volebant. hanc præcipuam primæ concordiæ cauſam Lucas aſſignat: *multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Act. 4. unde hoc ô Evangeliſta? *nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, ibi conjunctio, ubi lucri proprij abnegatio. *ecce ubi non erat diverſitas rerum*, exclamat Petrus Damian. l. 1. ep. 16. *vigebat unitas voluntatum. Nimirum ubi non eſt diviſio cenſûs, in unione charitatis plurimarum mentium conflatur affectus. illic*

illic enim mens à mente dividitur, ubi facultatum communio non tenetur, ubi poſſeſſionum diverſa proprietas; ibi mens poſſidentium non eſt una. hæc Cardinalis. certè experientia quotidiana confirmat disjungi eos per lucri proprij quæſtum, quos arctiſſimè natura conjunxerat. Ad fratris ſui filium ajebat Abraham: *ecce univerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro; ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo; ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam* Gen. 13. quæ tantæ ſeparationis origo? *ne ſit iurgium inter me & te, inter paſtores meos & paſtores tuos.* en proprij lucri cupiditas diſcordiarum omnium non tantùm occaſio ſed origo. eleganter Chryſoſtomus hom. 33. in Gen. *antea erat pax charitatis vinculum, nunc rixa & contentio. ubi enim* meum ac tuum *illic omnium litium germ & contentionis cauſa; ubi autem hæc non ſunt, ibi ſecura verſatur pax & concordia.* rumpere hanc unitatem inter primos Chriſtianos volebant Ananias & Saphira, ſed ſubitaneâ priùs morte percuſſi atque diſrupti ſunt. Nullum non vinculum naturæ rumpit maledicta lucri proprij cupiditas. quod vinculum arctius quàm inter Magiſtrum & Diſcipulum, inter Deum & creaturam, inter Ieſum & Judam: de hoc ajebat Dominus: *unanimis meus, dux meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos* pſ. 54. hanc tamen unanimitatem lucri cupiditas diſrupit, unde infert Petrus Damiani cit. *quiſquis proprietatis conatur habere peculium, non valet Apoſtolorum tenere veſtigia, quia non erit illi cum fratribus cor unum & anima una. Cum Iuda ſiquidem loculos atque pecuniam habere poteſt, unanimitatē, paremq; concordiam cum Apoſtolis habere non poteſt.*

§. 3. *Dictamina intereſſatorum & exinde promanantia damna.*

Quæſtores ejusmodi ab Apoſtolo deſcribuntur ad Tit. 1. *univerſas domos ſubvertunt docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* quid doceant luciones tales ex Tacito ſcio: *nihil iniuſtū quod fructuoſum*, priùs utile poſteà honeſtum, privatis publica cedant. circumvenire ſolertia vocatur, mentiri urbanitas, omnes fallere prudentia, nulli fidere providentia, omnes ſuſpectos habere ſecuritas, nulli animum recludere ſapientia, *Scriban. in Chriſto patiente.*

omnibus detrahere generositas, maledicere omnibus fortitudo, omnia spondere nihil largiri aulica comitas, alieno thoro, & pudicitiæ insidiari genus quoddam elegantiæ, commodis suis quacunque viâ etiam cum amicorum eversione pauperum oppressione, innocentium damnatione, studere viri est ad rempublicam nati; privata publicis anteponere, adeóque hæc evertere, ut tua evehas, industria, universas domos, respublicas, regna suis hiscè axiomatis subvertunt. quid pacem in cœlo disturbavit? quid bellum intestinum excivit? *factum est prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius.* potuit tantæ domûs pax turbari, dum proptij lucri studium pulcherrimi cor angeli occupavit. Audiamus Bernardum de grad. humilit: hæc Lucifero improperantem: *dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem: ipsius quantum in te est quietem Trinitatis infestas.* hi sunt certissimi fructus cupiditatis, hic quæstus *interessatorum*, ut pacem turbent, deitatem infestent, domos subvertant. Monet proinde D. Nilus in Ascetic. *ad virtutem tendentibus magno est impedimento rerum affectio terrenarum, animoq; ac sæpe etiam corpori perniciem affert.* Quid duas & dimidiam tribus extra promissionem manere fecit (tribum videlicet Ruben, Gad, & Manasse de quibus Josue 22. *reversiq; sunt & abiêrunt, filij Ruben & filij Gad & dimidia tribus Manasse à filijs Israël*) quid Lot ab Abraham separavit? quid Pharaonem tot plagis affecit & in fundo maris rubri denique mersit? quid Saulem regno indignum reddidit, & posteritatem eius ad incitas redegit? quid regnum Roboam discidit, & totam promissionis terram non lacte & melle, sed sanguine & felle manare fecit? quid authorem vitæ patibulo crucis addixit, nisì proprij quæstûs cupiditas, & maledictum illud verbum: *expedit nobis.*

Apoc. 12. v. 7.

Hæc eadem pestis etiamnum implet cœmeteria funeribus, nosocomia pauperibus, domos pupillis, curias sceleribus, cœnobia dissensionibus, Christianitatem dedecore, orbem sanguine, infernum animabus. Observavit Ethnicus Cicero l. 3. offic. Socratem eos meritò execrari solere, qui primùm utile & honestum naturâ cohærentia, opinione distraxerunt, *quâ nulla maior pernicies humano generi potuit afferri*, non domos tantùm subvertunt, sed totam humanam naturam pervertere nituntur, qui turpis lucri gratiâ susdéque habent omnia: pergit itaque Cicero, & convictûs humani eversores homicidis deteriores, tyrannis truculentiores appellat proprio quæstui deditos: *hominem hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt aut corpori accidere aut rebus externis. nam imprimis tollit convictum humanum & societatem; si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maximè est secundùm naturam, humani generis societatem. ut si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari totum corpus necessè est.* hucusque sensatissimè Tullius. ejusdem sensus sapientissimus Seneca fuit, qui non dubitat belluis deteriores dicere *interessatos*, ferarum iste convenrus est, nisi quód illæ inter se placidæ sunt, morsuq; similium abstinent; hi mutuâ laceratione satiantur. Hoc uno ab animantibus brutis differunt, quòd illa mansvescunt alentibus, horum rabies ipsos, à quibus est nutrita, depascitur. ita Cordubensis philosophus l. 2. de ira c. 8. Verùm dum depascuntur alios, ut se suosq; nutriant, & ex alienis damnis quæstus suos facere cogitant, nihil minùs quàm quæstum, sed certissimum faciunt dispendium.

§. 4. *Nimia proprij lucri cupiditas certissimum est dispendium.*

Euripidis celebre dictum erat: non probo illas opes, quæ faciliùs delentur à Deo, quàm scribantur. tales opes fuêre Gerazenorum porci, in quos mitti postulabat legio dæmonũ, quia contra legem Dei alebantur. naves Tharsis in spiritu vehementi conterendæ dicuntur ps. 47. v. 6. quia ut loquitur

tur D. Gregorius Nyſſ. erat *innatans vitioſitas*, quidquid autem vitioſè acquiritur, ſtabile eſſe ac diuturnum non poteſt. pretium divenditi Chriſti in Corbonam mitti non potuit, quia pretium ſanguinis fuit Matth. 27. v. 6. pro ſola ſepultura valent pecuniæ iniquo lucro partæ. Ingenioſè de avaris dixit David *catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi* pſ. 103. v. 21. rapiunt priùs, poſtea quærunt eſcam, quid rapina ad famem & incitas eos redigit; vix rapiunt, & mox perdunt. *Beniamin lupus rapax manè comedet prædam & veſpere dividet ſpolia* Gen. 49. v. 27. Cur prædam ipſe non comedit veſperi ſed dividit? an non eſurit ampliùs? cur in diem non ſervat poſterum? an regij animi lupus eſt, ut dividat ſicut leo & aquila? reſpondet Oleaſter: *commune eſt, ut raptores brevi tempore poſſideant, quæ rapuerunt.* comparat ejusmodi raptores tineæ, patientiſſimus regum: *ædificavit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit umbraculum* Job. 27. v. 18. ſicut tinea (verba Lyrani) rodendo veſtem facit ſibi domunculam ſuam, ſic avarus ex alieno damno facit lucrum ſuum; ſed cum veſtis excutitur, tinea de domo ſua eijcitur; ſic talis eijcitur de domibus ſuis, quas ædificavit cum labore & expenſis. corrodit veſtem tinea, ut ſibi manſionem paret, ſed diuturna non poteſt eſſe manſio, cùm veſtis ſit corroſa, unde ſubditur: *& ſic ut cuſtos fecit umbraculum*; brevi enim tempore durant in hortis aut agris umbracula donec fructus colligantur, per hyemem non ſervantur. Jobo conſentit Siracides c. 21. v. 9. *qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme*, hoc eſt interprete Lyrano: ſicut ædificium in hyeme non ſolet eſſe ſtabile, ſic domus per rapinam ædificata. Septuaginta legunt: *num ædificant domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides ad ſui ſepulchri tumulum.* ſepulchrum ſibi parat, qui lucrum iniqvum apparat. Nidum vocat Abdias omne palatium, omne peculium, omne gazophylacium titulo non bono collectum: *ſi inter ſidera*

ſidera poſueris nidum tuum inde detraham te Abdiæ 1. v. 4. pulchrè nidum ponere dicuntur inter ſidera (verba Riberæ) quia ut maximè laborant pro firma ſibi & quieta vitæ ſuæ ſecuritate quærenda, nidus tamen eſt, quem conſtruunt, fœno & ſtipulis conſtat, magno labore confectus eſt, ſed minimo diſſolvitur. Inter ſidera habitare Adam voluit, dum commodo proprio nimiùm intentus voluit eſſe *ſicut Dij*, ſed quid aſſecutus eſt, *cognoverunt ſe eſſe nudos* Gen. 3. v. 7. nuditatem mercatus eſt, qui divinitatem ambivit: ſed quis indicavit tibi, quòd nudus eſſes? reſpondet Rupertus: *hæc ipſa ſcientia, quâ nudum te eſſe perſpexiſti, culpa eſt, quia rapina eſt.* bene rapina cum nuditate conjungitur, quia nihil certius, quàm quòd ad nuditatem redigatur, qui rapinam ſectatur. non tegunt, ſed detegunt; non ditant, ſed depauperant; non ornant, ſed proſtituunt; non proſunt, ſed obſunt divitiæ de Mammona iniquitatis partæ. manet, æternumq; manebit, irrevocabilis in *intereſſatum* quemlibet ſententia, quæ in Simonem Magum Act. 8. v. 20.
primitus eſt fulminata: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.*

Digna ſcitu quæſtio eſt, quis primus ex tota humani generis maſſa viam inferni triverit, cui primò valvæ orci ſint apertæ, & quam ob cauſam? an atheus fuit, an idololatra, an blaſphemus? an adulter, an perjurus, an ebrioſus, an ſuperbus? audiamus judicium M. Gregorij l. 1. moral. c. 3. qui omnibus conſideratis cenſet Lucrionem fuiſſe, qui ſtatuit oculos ſuos declinare in terram. Cain ille fuit, qui primus ædificavit civitatem, ut ſe ſtabiliret in terra nihili penſans cœleſtia: *ipſe qui primus in terra fundamentum poſuit, à ſodalitate cæleſtis patriæ alienus fuit.* Peccavit quidem Cain alijs peccatis, invidiâ, irâ, homicidio, deſperatione, ſed horum ſcelerum radix fuit lucri cupiditas, ita ut verè dicatur: *radix omnium malorum* 1. Tim. 6. v. 10. nec pullulâſſent mala cætera, niſi radix iſta præceſſiſſet; turpis enim lucri gratiâ in ſacrificio ſuo Cain deteriora obtulit, ut obſervavit D. Ambroſius,

§. 5. *Primus damnatorum fuit lucrio.*

broſius, ideoq; propitium Numinis oculum non promeruit. *Væ illis qui in via Cain abiêrunt & errore Balaam mercede effuſi ſunt,* ait S. Thaddæus v. 11. via Cain eſt cupiditas, *regia* ad inferorum *via*, à qua revocare gradum, turpemq; relinquere quæſtum, hic labor hoc opus eſt. Magnum miraculum omnipotentiæ divinæ fuit, quando aquas maris rubri diviſit, ut ſicco pede tranſiêrint Iſraëlitæ, ſtantibus utrinq; fluctibus, velut ſolidis de adamante montibus. ſed fortè majus fuiſſet prodigium, ſi totus populus ipſas undas calcâſſet, non in fundo, ſed in ſuperficie tranſiens, ſicut Petrus undas calcavit; Frãciſcus Paulanus, alijque: Cur Petrus ambulat ſuper aquas & non populus? ille paupertate levis fuit, qui dicere potuit, *ecce nos reliquimus omnia*, facilè proinde aqua Petrum ſuſtinuit; at verò populus ſpolijs ægyptijs gravis erat: *petiêrunt ab ægyptiis vaſa argentea & aurea* Exod. 3. v. 22. onuſtos tanto pondere ſuſtentare noluiſſent aquæ. ita Petrus Dam. Ser. de S. Petro *Cur filij Iſrael in profundo maris, Petrus verò ſupra mare graditur? quia Petrus reliquit omnia, illi auri & argenti pondere preſſi ab aquis ſuſtineri non poterant.* at non ita Hebræos lucri cupiditas gravavit ſicut ægyptios perſecutores, qui dum ſequuntur fugitivos, & repetere ſua ſatagunt, ſubmerſi ſunt ſicut plumbum in aquis.

Luc. 16. depingitur Epulo, qui par Lucullo veſtiebatur purpurâ, neſcio è quo morbo (*regius* fuerit) decedens mox ſepelitur in inferno, ita ut inter mortem & ſepulturam vix momentum interceſſerit. Totus eſt Auguſtinus in ſpeculatione, cur tam citò ſepultus? quod periculum in mora? & excogitat dignam capite ſuo ſententiam? *quia hic pecuniarum pondere oppreſſus velociùs deſcenderat, quàm ut veniſſe diceretur* ſer. 15. de verbis Domini. *O quantum gravat avaritia, quæ facit hominem cadere* (non deſcendere) *in profundum* S. Antonius Pad. Ser. 3. Dominicæ 2. quadrag. ſic merguntur avaritiæ pondere preſſi, ſapienter Philoſophus gentilis: *mergo ne mergar.*

mergar. Sapientiùs monet D. Chryſologus ſer. 22. *Mitte & præmitte theſaurum tuum in cœlo, nè cœleſtem animam demergat in terram*, imò in terræ centrum, & tormentorum Abyſſum: *Tollite divitias, & infernus non erit* S. Auguſt. ſer. 31. ad Fratres in eremo.

Conſideratu digna ſunt illa Chriſti verba Joan. 16. *Venit hora ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis.* Ille Chriſtum deſerit, qui ſua quærit, prout verba Chriſti explicat S. Sixtus Papa I. de divitijs: *ad ſua redire non poſſunt, niſi cum Dominum derelinquunt unde intelligere datur ſequentium eſſe ſua contemnere; ad ſua remeare velle deſerentium.* Qui autem ſic Ieſum deſerunt, nullam cum eo partem ſperent juxta obſervationem D. Hieronymi in pſ. 72. epiſt. ad Nepotian. *qui Dominum poſſidet & cum propheta dicit; pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* non de religioſis, ſed de omnibus Chriſtianis hæc intelligit Hieronymus, ita ut nemo bonis utatur tanquam ſuis, ſed tanquam fidelis diſpenſator ſupremi Domini bonis, adeò ut etiam in elargiendis eleemoſynis (inquit doctiſſimus Baëza in c. 16. Joannis tomo 4. l. 4. c. 23.) malit videre, diſtribuere aliena, quàm propria. Conſentit per omnia Hieronymo Bernardus pſalmum eundem interpretatus: quid mihi eſt in cœlo, aut à te quid volui ſuper terram? *defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* in quæ verba ſic commentatur ſer. de diverſis affectibus animæ: *neque enim ſuum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quicquam tanquam privato ſui ipſius amore deſideret anima, quæ huiuſmodi eſt, ſed tota pergat in Deum, ut ipſi adhæreat, ipſo fruatur.* ſic in Deum perrexit inclytus Martyr Ignatius, qui cum Romam ad martyrium duceretur, in prævia ad Romanos epiſtola gloriatur: *nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his quæ videntur, deſiderans, ut Ieſum Chriſtum inveniam.* quid hoc ô fortiſſime Athleta, nunc pri-

§. 6. Lucriones apoſtatant à Chriſto.


pſ. 72. v. 26.

Ii pri-

primùm Christi discipulus? annon tunc divinum agnovisti Magistrum, cùm à Paulo conversus, baptizatusq; nomen Christo dedisti? an non tunc discipulorum unus, cùm à Joanne Apostolo pleniùs eruditus & Deiparæ Virginis aspectu recreatus, mira dares consummatæ virtutis specimina? *nunc incipio Christi esse Discipulus!* non se discipuli nomine dignum censet Ignatius, quamdiu proprij in se commodi, quantulumcunq; advertit affectum, donec omni penitus abnegato, solius Iesu Christi gloriam omnimodè desideraret. non æstimet se Christiani nomine dignum, qui proprium in omnibus spectat, desideratque emolumentum.

§. 7. *Felix pascha vivit, qui locrum suum non appetit.* Monet proinde Apostolus, ut verba ejus interpretantur D. Augustinus & D. Thomas: *ne sua quisque spectent, sed unusquisque, quæ sunt alienorum.* is enim affectus sit in vobis, qui fuit in Christo Iesu, qui cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Monemur hîc inquit, Anselmus, ut sicut ille, itâ & nos ad ejus imitationem non nostram utilitatem, sed aliorum quæramus. Soli confertur Christus Malach. 4. v. 2. *orietur vobis sol justitiæ,* de quo S. Ambrosius l. 2. offic. c. 28. *magnus itaq; justitiæ splendor, qui aliis potiùs nascitur, quam sibi.* Solem (Christum) sua sidera nôrunt, imitatione sedulâ sequuntur, aliorum potiùs commodis, quàm suis intenti, & hoc est cum pijs mulieribus Iesum Nazaranenum feliciter quærere & *in floribus* invenire; hoc est cum Iesu gloriosè resurgere, qui sicut mortuus est propter peccata nostra, ità resurrexit propter justificationem nostram, vixit ac revixit non sibi, sed nobis, quos charitate nimiâ dilexit, licèt odio haberetur gratis. pulchra est illa Gregorij Magni observatio (in qua finio) *si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & si pro omnibus mortuus est, superest, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* & hoc erit felix, faustum fortunatumq; vivere pascha.

S. Gregor. l. 1. Pastoral. c. 5.



247

PHILIPPICA XXVIII.

In incredulos.

DOMINICA I. POST PASCHA.

Noli esse incredulus. Joannis 20. v. 29.



Fides Romano-catholica per mille sexcentos annos nunquam non impugnata, ex pugnata nunquam incrementa cum persecutionibus sumpsit atque à persecutionibus suis laudes commendationesque maximas reportavit. testatur gentilis Seneca lib. 10. ep. christianos sanctissimè vivere, & hoc solum in eis reprehendi posse, quòd nimis facile pro Deo suo vitam profundant. testatur ex circumcisis Mahometes in Alcoran. lib. contra Arabes: Christiani si in Deum crediderint, & judicij diem expectantes benefecerint, nihil timeant. testatur ex Acatholicis Lutherus: *dico sub papatu veram esse christianitatem, imò verum nucleum christianitatis.* Conclamatum contra Christianos erat in circo Romano præsente Maximiano Anno 301. quando duodecies vox insonuit: *christiani tollantur!* deciesque repetita est barbara Echo: *Auguste christiani non sint!* at verò post annos viginti tres, videlicet 324. cùm Constantinus declamaret coram Magistratu Romano & exercitu suo pro christianorum incolumitate, acclamârunt identidem christiani: *Qui Christum negat, malè pereat. unus Deus christianorum. qui Christum non colunt, inimici Augustorum sunt. qui Augustum salvavit, ipse est Deus. qui*

§. 1. *Vera Fides est maximum hominum solatium.*

Christum colit, semper vivat. Templa claudantur & Ecclesia pateant, Sacerdotes templorum urbe pellantur. Fides nostra non potest non esse vera, quia nititur veracitate Dei revelantis, revelationes verò ipsas tot signis habet firmatas, ut pro miraculo ignorantiæ aut malitiæ haberi debeat, qui dubitare præsumit. *tenemur in Ecclesia vinculis miraculorum*, inquit Sanctus Augustinus in ep. fund. c. 4. & quamvis præterita tot tantaque sint, ut dicat idem Augustinus lib. 22. de civit. cap. 8. *quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* &c. eodem lib. *qui ergò se opponit, monstrum est*; continuat nihilominùs sua Deus per annos singulos beneficia, ut nullus sit annus quo indubitatis testibus multa & magna in varijs locis prodigia non patrentur. Nihilominus plurimos hodieque videre est inter catholicos, qui adeò modicâ fide prædíti sunt, ut vix credibile esse videatur, credere fideliter eos prima fidei mysteria. tam impudenter enim peccant, ac si Deus præsens non esset, nec plus peccaturi forent, si Deus non esset, ita bonis alienis inhiant, & malè parta observant, acsi vindicativa in Deo justitia non esset; verbo: ita vivunt acsi nulla post hanc mortalem superesset vita, nullus infernus, nulla æternitas. & quamvis ore non dicant Thomæum illud, *nisi videro non credam*: corde tamen & opere ita loqvuntur, suntque incredulo Thomâ trecenties magìs increduli. Contra quos, si severiùs hodie egero, nihil à genio Domini mei agam alienum, ipse enim in anastasi sua, Emauntinos discipulos tanquam tardos corde ad credendum reprehendit, & in ascensione sua Apostolos redarguit velut duros corde, quòd ijs, qui dominum resurgentem viderant, fidem negârint: *Exprobravit crudelitatem eorum & duritiem cordis.* Exprobrabo & ego multorum in hac urbe duritiam illo mediante, qui stetit in medio.

§. 2. *Bene non credit, qui malè vivit.*

Magni Augustini effatum est; *difficile est, ut malè vivat, qui bene credit.* qualis fides talis vita, ideo immaculata Deiparæ vita, quia fides integerrima. *beata quæ credidisti* ob fidem potiùs quàm virginitatem cæterasque virtutes dilaudatur, quia fides cæterarum fuit fundamentum; ideo Abraham perfectus, Job inculpatus, Noë justus, Joseph castus, cæterique Patriarchæ, quia fideles inventi sunt, & patres fidei appellari meruerunt. *Difficile est, ut malè vivat, qui bene credit.* ad fidei præsentiam omnis ab animo desperatio, omnis prævaricatio eliminatur, ait Basilius Seleucus orat. 22. si ergo quempiam videam desperationi vel alteri vitio obnoxium, quomodo credam illum bene credere? ore credit, non corde, non opere & veritate. Sunt nonnulli etiam in hac urbe, qui fidem alternant sicut Constantinus Imperator postulare à Romano Pontifice ausus, duplicem ut permitteret fidem, in oriente, alteram in occidente? reclamet licèt Apostolus: *unus Dominus una fides.* alternant fidem, qui alij sunt in templo, alij in popina, alij in hebdomada sancta, alij in paschate, alij in templo, alij in foro, alij in orthodoxis, alij cum heterodoxis simillimi Samaritanis, qui judæorum profitebantur Religionem, quando feliciter cum judæis agebatur, sicut actum est sub Alexandro magno, judæorum amico & fautore, ut testatur Josephus l. 11. antiq. c. ult. si verò adversa eosdem impeteret fortuna, prout sub Antiocho Epiphane jurato judæorum hoste, ut describit Josephus c. 12. accidit, ritus gentium pronissimi sequebantur, ideoque exosi Deo & hominibus calamitatibus plurimis exerciti & extirpati sunt; emolumentum enim temporale, quod cum mutata religione affectabant, assecuti non sunt, salute verò æternâ penitùs exciderunt. Samaritanorum pœnas luent omnes ij, qui quamdiu in urbe hac degunt, catholici haberi volunt, cum verò negotiorum aut otij causâ in vicina hæreticorum oppida ac urbes deflectunt; ululant cum lupis, vorant carnes cum Acatholicis, religiosos plusquam ipsimet

S. Augustinus apud Iuglar. concio. 2. quadrag.

Ep. 4. v. 5

248

catholicomastiges cavillantur, conciones hæreticorum au-
diunt, libros legunt, cantilenas, preces ritusque deprædicant,
de quibus optimè pronunciaveris dicendo: Samaritani estis
vos & dæmonium habetis, straminea vestra fides est, & per-
fidiâ hæretica pravior, videmus namque hæreticos, cùm
templum istud curiositatis aut joci gratiâ adeunt, ritibus no-
stris non communicare, elevatis manibus flexisque popliti-
bus minimè orare, cruce se nequaquam signare, nè ejusdẽ
nobiscum fidei esse videantur; vos verò templa eorum ade-
undo conciones laudando, convescendo cibis vetitis satis
superque ostenditis fidem vestram esse perfidiam, hypo-
crisin, apostasiam, & flagitiorum omnium sentinam. Quid
de politicis dicam, qui inter ipsos catholicos transforman-
tur in lucis angelos, sed incarnati dæmones sunt, tenebra-
rum principes, cæcorum duces, pavimentum gehennæ. hi
quidem primi sunt in templis, sed insensibiles sunt ad syn-
ceram contritionem, satisfactionem & morum mutationem,
in secreto pænitentiæ muti, in conscientia sua cæci, ad elee-
mosynas ex proprio peculio faciendas manci, ad omnem so-
lidam virtutem paralytici, prodigijs tam parùm moventur,
quàm signis in morte Christi patratis Pharisæi, Deum tanti
faciunt, quanti Judas, pietatem accurant, sicut Herodes, *ut
& ego veniens adorem eum*, nomen habent, quòd vivant, & mor-
tui sunt, infidelibus deteriores, dæmonibus execrabiliores,
quia dæmones credunt, & contremiscunt.

§. 3. Infidelitas antonomasticè peccatum.

Infidelitatem tantopere execratur Dominus, ut eam so-
lam vocet peccatum tanquam radicem omnium scelerum:
cùm venerit paraclitus arguet mundum de peccato. Ioann. 16. v. 8.
quod putas peccatum est, de quo increpanda judæa & orbis
totus? *quia non crediderunt in me*, v. 9. ecce defectum fidei
peccatum peccatorum maximum. Sicut emortuâ arbore
desperatus est fructus, ita deficiente fide omnia perdita sunt,
ut

ut Chrysostomus homil. 77. & Augustinus tract. 95. in Ioann.
prædicta Christi verba exponunt. tam grande peccatum est
incredulitas, ut processu judiciali opus non sit, sicut in enor-
mibus & notorijs delictis esse non solet, ait enim Christus;
qui non credit iam iudicatus est Ioann. 3. v. 18. magnum ergò ne-
bulonem esse oportet, quisquis incredulus est.

§. 4. Multorum fides inutilis.

Mira illa Salvatoris est quæstio, quâ fidelium, non dico
paucitatem, sed omnimodum defectum insinuat: *filius homi-
nis veniens putas inveniet fidem in terra?* Luc. 18. v. 8. ô Domi-
ne quid hoc verborum? si hodie venires, an non tria &
supra millia fidelium in hoc templo invenires, & quidem
plerosque pro te & fide tua hâc horâ mori paratos, quo-
modo ergo fidem à te non reperiendam dictitas? respondet
pro Christo Augustinus, fidem quidem inutilem, fidem mor-
tuam: *fides iuxta Apostolum sine charitate esse potest, prodesse non po-
test* S. Augustinus lib. 15. c. 18. de Trinit. habent radicem
sinè trunco, arborem sinè folijs atque fructibus, habent lam-
padem sinè oleo, habent gladium & clavam (sicut Hercules
clavam dimisisse nunquam dicitur) sed absque usu, habent
navim sinè velo, bombardam sinè pulvere pyrio, corpus si-
nè anima, instrumenta artis sinè arte, medicinam, libros,
vestes sinè usu. *Ille verò credit, qui exercet operando, quod credit*
S. Augustinus hom. 26. in Evang. quæ est in hodiernam Do-
minic. Credis Iesum pro peccatis tuis mortuum esse? ergo
noli ampliùs peccare, nè frustrà pro te mortuus sit. credis
quodlibet peccatum dignum esse æternaturis supplicijs? er-
go fuge peccatum, sicut à facie colubri. cur fugis pestem,
ignem, rabidum canem? quia credis noxia esse, etsi exper-
tus nondum damnum sis; cur ergò eadem sagacitate non
fugis occasiones peccandi, ipsumque peccatum, à quo toties
expertus es lancinatum te esse & inferni dolores prægustâsse?
ille verè credit, qui exercet operando, quod credit. Grego-
rio Pontifici Maximo consonat Claravallensis Abbas serm. 2.

de

de octava Paschæ: *putasne illum in Christum credere, quisquis ille est, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? nonne is, & si fateatur se Deum nosse, factis negat?* pœnâ eò graviori dignus, quò majorem Regi nostro contemptum intulit, quem Regem esse agnovit. Si cognovissent judæi, Regem gloriæ non crucifixissent; pejor ergo judæis est, qui agnoscit & adhuc crucifigit. Si viva fides foret, diceres: nolo peccare, nè denuò crucifigam Iesum meum. nolo peccare, quia credo præsentem mihi esse Deum immensum, justum, sanctum, cui omne peccatum infinitè displicet, nec potest permittere impunitum. Si vera & viva fides esset, viso paupere diceres: credo Christo dari quidquid datur egeno, & accipere mercedem prophetæ, qui dat in nomine Prophetæ. ergò: dabo diceres in adversitate: credo quòd momentaneum tribulationis nostræ pondus immensum & æternum gloriæ operetur, ergò patiar. diceres, cùm tentaris respectu humano ad omittendum bonum: credo quòd humanus respectus sit Dei despectus, & Christi servum non esse, qui hominibus placet. valeat ergò respectus, fiat quod amat Deus. hæc est fides viva, sic justus meus ex fide vivit, & vivat, utinam vivat nunc & semper, Amen.

§. 5. *Nec mortuis redivivis creditur.*

Sicut autem justus ex fide vivit, ita ex perfidia injustus perit. Notissima est historia ex speculo Exemplorum. (tit. Confessio exempl. 26. apud Ioann. Major §. 1.) de principe scelestissimo qui nec Deum, nec homines curabat jactitans perpetuo illud: nisi videro infernum, non credam. terriculamenta sunt Sacerdotum, ut timeantur. talia jactitabat princeps ille conjuge sanctâ frustrà dehortante & meliora svadente. contigit autem improvisâ illum morte defungi strangulatum à dæmone, de cujus statu cùm rescire optaret uxor, vidit repentè cadaver in titionem mutari, & è manibus prodire schedam, in qua exaratum erat: *iam scio, quod infer-*

nus sit. ô infelix experientia, cui nulla superest indulgentia, nullum auspicium salutis! ô incredibilis humanæ mentis contumacia, quæ nec prodigijs flecti, nec mortuorum resuscitatione commoveri, nec signis in excelsum supra, sive in inferno deorsum persvaderi potest, ut à perversis suis propositis vel latum ungvem deflectat. Petiêrat damnatus epulo, ut defunctorum aliquis mitteretur ad superstites ejus fratres, & secuturæ vitæ annuntiaret supplicia, nè & ipsi in locum tormentorum præciperentur, & crescente damnatorũ numero velut titionibus novis superinjectis gehennale incendium augeretur. cujus postulato Abraham ex Dei con- Luc.16.v.29
silio respondit: *habent Moysen & prophetas audiant illos*, habent libros, bibliothecas integras, legant illas, habent concionatores & adhortatores, accedant illos, vivi vivis credant, cur mortuos vivi requirunt; at replicat epulo quasi melius rem perciperet: *non. Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pænitentiam agent.* Venit mortuus & prædicavit, an pænitentiam egerunt? audiamus elegantissimè ratiocinantem Chrysologum ser. 66. *sicut dives petiit, Deus Lazarum pro Lazaro misit*, fratrem videlicet Marthæ, quem quatriduanum ex monumento Iesus suscitavit, *sed quid missus, quid desideratus, quid resurgens profecit? patienter audite. cogitaverunt & Lazarum interficere. nolunt visa referri, qui volunt audita non credi.*

§. 6. *Efficacissimum medium impetrandæ vivæ fidei est oratio.*

Posteaquam Christus dixisset Luc. 18. v. 1. *quoniam oportet semper orare*, & efficaciam orationis docuisset in parabola judicis, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur viduæ nihilominùs causam dicere, eamque de inimicis vindicare decrevit, propter illius importunitatem subiungit: *Filius hominis veniens putas fidem inveniet in terra?* quod erat dicere; ut fides non desit oratio non desit. Sermoni de oratione sermonem de fide conjunxit, ait Theophylactus apud Cornelium, quia omnis orationis basis & fundamentum est fides, declarans insuper paucorum fore tunc orare, quoniam

fides

fides in paucis invenietur Elegantiùs Divus Augustinus tract. 36. de verbis Domini, quî cum finio: *ergò ut oremus, credamus, & ut ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Etenim nè in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait: vigilate & orate, nè intretis in tentationem. Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? in tantum enim tentatio proficit, in quantum fides deficit. & in tantum tentatio deficit, in quantum fides proficit.* hæc Augustinus. oremus ergò ut credamus, credamus autem vivaciter, ut cò efficaciùs oremus.

PHILIPPICA XXIX.

In cornupetas hircos.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Cognosco oves meas. Ioannis 10. v. 14.

§. 1. *Nullum animal similius homini, quam ovis.*

ARistoteles lib 6. animal. c. 19. censet hominem vix alteri animali comparari rectiùs posse, quàm ovi, homo enim sicut ovis inermis nascitur, ijsdem morbis quibus ovis infestatur, vitam brevem sicut ovis sortitur, facilè sicut ovis regitur. Aristotelis sententiam incarnata confirmat Sapientia, dum electos suos ovibus, se Pastori in hodierno comparat Evangelio. At multi in ovili Christi sunt, qui malunt hædi esse, quàm oves. hædorum mores exprimunt, & vitam vivunt, etsi non ignorent, hædos à sinistris judicij die constitutos, atque in æternæ macellum mortis cogendos; oves verò ad æterna pascua deducendas. Nolo in enumerandis hædorum proprietatibus prolixus esse, cornu duntaxat arripiam, insanos vindictæ impetus impetam, & in nomine Domini hoc cornu ventilabo.

§. 2. *Hædi symbolum sunt cupidorum vindictæ.*

Hædi ad coniscandum & pugnandum animantibus cæteris propensiores symbolum eorum hominum referunt, qui in litibus vivunt in rancore, in vindictæ appetitu etiam animam agunt; etsi millies dicant se ignoscere, & offensam omnem penitùs delere, verba sunt, fuci sunt, sit verbo venia, hircis omnibus olentiora menda sunt. tam difficulter sua ponent odia, quàm hædi cornua, siquidem totam suam gloriam, quietem, vitam in eo reponunt, ut ultionem sumant, & mortem adversario sic inferant, ut sentiat se mori. vide pilosum Esau Gen. 27. turgidum Amanem Esth. 5. Energumenum Saulem, incorrigilem Pharaonem, reprobum Antiochum; an non solatium, gloriam, vitam in eo reponunt, ut adversarios perdant, etsi unà perdendi sint, sicut navis incendiaria perditur, ut alijs noceat: *rumpor & ulciscor.* sicut Eleazarus Machabæus elephantem occidit, sed à mole cadentis obtritus est: *pereàm, dum perimam.* vel sicut vespa aculeum infigit, sed unà vitam perdit: *dum vulnero funeror.* Fabula an historia narrat dormitantem & nictitantem in navi Pastorem impetitum ab hirco fuisse, quem is præ impatientia in mare deturbavit, exilientibusque mox cœteris hædis & ovibus totius jacturam gregis fecit; ita se suaque perdũt, qui injurias remittere nesciunt.

§. 3. *Præ vindictæ cupidine nec vita, nec orcus pensatur.*

Tanta vindictæ rabies in multis est, ut dicant, nec mortẽ, nec infernum se pensi habere; dummodo vindictam de hostibus sumant. & temporalem ijs mortem inferant amaritudinem mortis dulcorat dulcedo ultionis, proh vesaniam! Proh venenum! proh obcœcationem! Philippum Regem Macedoniæ læserat lethaliter Pausanias, supervenit agonizanti Regi Alexander filius, & cœdis authorem unà adduxit, inque manum Philippi gladium immitens manu suâ manum Patris impulit ad Pausaniam transfigendum, quo occiso exclamavit Philippus: nunc libens morior non inultus. ita obijt, & ad hircos abijt, quem seqvuntur omnes vindictæ cupidi,

pidi, de quibus Ezechiel c. 32. v. 27. *descenderunt ad infernum cum armis suis. & posuerunt gladios suos sub capitibus suis*, imò in capitibus suis quibus pro cornibus ad arietandum in se mutuò utantur. Hannibal novennis pulverem in terra excitavit, juravitque non se destitutum ab odio & bello Romanis inferendo, donec vel ipse, vel Roma in similem eat pulverem. Simile odium Saulis in Davidem fuit, hinc illa Davidis in manus Dei se resignantis querimonia: *persequatur inimicus animam meam, & gloriam meam in pulverem deducat* ps. 7. v. 9. Scivit enim Citharœdus sanctus non destitutum Saulem à vindictæ cupidine, donec alteruter incineraretur. Crudelius adhuc odium Judæorum fuit in Christum (hircorum in agnum) quibus non sufficiebat Christum occidisse, nisi viderent ad pulverem redactum, atque idcirco custodiri sepulchrum petiêrunt, lapidem signârunt, custodes apposuerunt, ut examine corpus redigeretur in cineres, sub quibus scilicet cineribus ignem odij sui alerent. Justinianus Imperator, uti narrat ad annum, 702. Baronius, truncatus erat naribus, ejectusque in exilium, è quo cùm reditum per mare maturaret spe recuperandi imperij illectus, ecce tibi ingens repentè tempestas oritur, inque proximum vitæ discrimen classis tota adducitur. hic amicorum aliquis Cæsarem monet: votum concipiat ignoscendi inimicis, si evaserit periculum, & receperit imperium; quid ad hæc Justinianus? Deus me perdat & hoc loco mergat, si hostibus ego meis pepercero. Non potuit mare totum Cæsaris iram compescere, tam vehemens hic ignis est, ardens usque ad inferni novissima. omnemque salutis spem penitus exurens. Hircum egit Esau, quia hircus fratrem oculis ferè semper intuebatur: *semper oderat Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei Pater*, ideoque hircus mansit, nec in ovem abijt, etsi balatum ovium edidisset: *non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam*. Hebr. 12. v. 17. faciant quidquid volunt cornupetæ hædi, in mor- Gen. 27. v. 41.

mortes & macella pro Christo ruant, non tamen locum gratiæ invenient; si veniam integerrimè non faveant adversarijs suis, ut in Sapritio patuit, qui licèt immania pro Christo tormenta pertulerit, & iam cervicem gladio subjecerit, quia tamen Nicephoro reconciliari noluit, martyrij palmam, fidem, salutemque perdidit. Inexpiabilis culpa discordiæ, inquit Cyprianus de simplicit. Prælat: *inexpiabilis culpa discordia, nec passione purgatur, nam occidi talis potest, coronari non potest.*

§. 4. *Per cupiditatem vindictæ seducit diabolus, quos aliâ viâ non potest*

Desine à furore ô homo, si homo es, vindictam enim immortalem in caput tuum provocas, dum mortalem cogitas ultionem. exosus Deo & hominibus redderis, dum tui amore amens odium foves inimici, inferno proximus hæres, si à vindictæ spiritu non recedis. Quò diabolus hominem perducere non valet ullâ aliâ arte, plerumque per ultionis spiritum impellit, ut susque deque rationem, conscientiam, famam, virtutem, vitam, omnia habeat, dummodo explere suos possit furores. Cùm Hannibal elephantes suos per Rhodanum fluvium traducere non posset, ut narrat Decade 3. l. 1. Livius, vulnerari unum aliquem fecit, is autem, qui vulnerârat, insilire mox in Rhodanum, & transnare jussus est, ut eâ arte vulneratum & vindictæ ardoribus correptum elephantem ad seqvendum provocaret, quòd & cessit e voto. ita dæmon cupiditate vindictæ inducit seducitque homines, quos nullo alio scelere pervertere potuisset. Nunquam Ægyptij ausi fuissent mare ingredi, nisì vindictæ rabie arsissent. *dixit inimicus persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea* &c. Exodi 15. ita intrant ægyptij hodieque multi mare scelerum, mare amaritudinum, mare mortis & damnationis propter ultionem inimicorum. *sed flavit Spiritus tuus & operuit eos mare.* Nunquam non naufragantur qui crucis vehiculâ (in qua dilectio docetur) non vehuntur; nunquam portum salutis & misericordiæ asseqvuntur, qui adversarios nunquam non persequuntur. Crudeles sunt in seipsos, qui clementes

eſſe nolunt in hoſtem, hunc enim cùm lædunt, conſcienti-
am ſuam ſauciant, Deum ad iram provocant, Ieſu Crucifi-
xo vulnera renovant, ſponſæ ejus Eccleſiæ pupillam vulne-
rant, & citiùs hanc vulnerant quàm hoſtem. ſapienter pro-
inde Chryſoſtomus monuit homil. 4. in Epheſ. *nemo injuriæ
ſit memor, niſi velit ſeipſum lædere.*

§. 5. *Vindictæ cupidi configunt Chriſto cor.*

Narrat Diodorus Siculus lib. 2 patrem neſcio quem, cùm
è tribus unicum haberet legitimum filium, duos ſpurios,
præ his illum ſcripſiſſe hæredem. à morte lis naſcitur, quis
legitimus? qui ſpurij? definijt novus Salomon litem, ut is
hæreditatem adiret, qui propiùs cordi paterno ſagittam fixiſ-
ſet. ſinè mora ſpurij ſagittas expediunt, in cor patris colli-
mant, jaculantur; at legitimus ingemiſcens ad hoc ſpectacu-
lum exclamat: abſit, ut ego cor patris mei vulnerem, habe-
ant hæreditatem, adeant poſſeſſionem, vivant pro libitu,
mori ego malo, quàm vel mortuum vulnerare. germanus
hic erat filius hæreditate digniſſimus, quam & obtinuit ſpu-
rijs excluſis, & ad mendicitatis peram redactis. Vix certius
ſignum eſt nos patris æterni eſſe filios, filij Dei fratres ac di-
ſcipulos, Spiritûs Sancti corcula & hæredes quidem Dei, co-
hæredes autem Chriſti, quàm ſi ſagittis vindictæ abſtineamus,
easque in cor Chriſti mortui non ejaculemur. quis jacula-
tur in cor Chriſti? dicet iracundus, ego hoſtem peto, non
Chriſtum. ô infelix peccator, tu, tu latus Salvatoris ſaucias,
quoties vindictam ſoli Deo propriam (*mihi vindictam & ego
retribuam* Rom. 12.) in corde tuo cogitas. an neſcis omnibus
vindictæ cupidis per Malachiam dictum eſſe: *quia vos configi-
tis me*. c. 3. v. 8. non poteſt lædi Chriſtianus, quin lædatur
Chriſtus. O ſi vel Ægyptijs pares eſſemus, de quibus ſcribit
Poliænus lib. 7. quòd Cambyſes contra eosdem præliaturus,
in primâ acie collocârit ea animalia, quæ ſcivit ab Ægyptijs
pro deaſtris haberi, puta feles, crocodilos &c. quo ſpectacu-
lo territi Ægyptij petiêre pacem, nè Deos ſuos læderent. ô
Chri-

Chriſtiane ante hoſtem tuum Chrucifixum non vides, non
audis clamantem: *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*,
& furere pergis? parcunt Ægyptij cani, tu nec Deo vivo &
vero? an non exprobrare tibi potuerit: non feciſti me tan-
ti, quanti canem ægyptij! ingens heu tua confuſio & juſta da-
mnatio. Magi ex pacto diabolico jaculantur in imaginem Cru-
cifixi, eoque momento tangunt, vulnerant, enecant homi-
nem, quem ferire intendunt, etſi centum aut mille milliari-
bus abſit. hæc facit magus per maleficium, quid ego de te
Chriſtiane dicam, qui lædendo linguâ, calamo; manu inimi-
cum, priùs ſemper feris Chriſtum, plusquàm maleficus es.

§. 6. *Hiſtoria horrida.*

Quid? quòd veſanus iſte furor non in corpus modò &
vitam, ſed animam ipſam & ſalutem adverſarij deſæviat, nec
ſatis habeat, ſi pereat, niſi bis pereat & pereat æternùm. Ac-
cidit ætate noſtrâ apud Allobroges, ut ipsâ paſchatis die re-
ginâ dierum, ex phraſi Nazianzeni, miles præſidiarius è re-
gno Neapolitano cum alio gentili ſuo graves exercens ſimul-
tates, tandem poſt aliquam ex parte adverſarij reconciliati-
onis ſimulatæ ſpeciem, pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramen-
ta adiêrit. Domum redux inimicum obvium habuit arma-
tus inermem, quem renunciare Chriſto & Deum ejurare ju-
bet, niſi confodi illico velit. ejurat miſer & Chriſto cœlo-
que valedicit, quod ubi perfeciſſet, ab hoſte impio ſicâ in
pectore transfigitur acclamante illo & exultante: ô factũ
bene, uno ictu corpus & animam inimici perdidi! ô perdita
rabies! ô furor maledictus! ô diabolica perverſitas! Jam
non dicam hominem homini lupum, ſed dæmonem & quid-
quid nequius dæmone dici poteſt. Sævit dæmon in animam
non in corpus, ſæviunt beſtiæ in corpus, non in animam;
immanis autem iſte latro in animam pariter ac corpus ſævi-
ens an non efferatiſſimis belluis truculentior, & peſſimis dæ-
monibus malignior cenſeri poteſt? at quid militi tantoperè
ſuccenſeo, quòd ferreis cornibus præditus hircum egerit, re-

 ligioſum

ligiosum & quidem Sacerdotem recogito milite & dæmone omninò truculentiorem. Vir nobilis & militaris grave odium adversùs alterum conceperat, quòd tamen subducto ex oculis & provincia adversario utcunque sopitum, & nobilis ille afflante Numine religiosæ vitæ authoratus, finitoque cum laude tyrocinio, Sacerdotij honoribus initiatus est. haud ita brevi tempore contigit, ut Parisijs inter operandum in templo, quod ad plateam regiam est, cùm non satis sacerdos iste custodiret oculos, adstantem ad aram videret illum, qui cum inimicitias in sæculo aliquando aluerat. quo aspecto veluti transfixus concepit dolorem, mox pariturus iniquitatem. reaccenso enim validissimo odiorum igne, cùm primùm ab altari abscessit, & sacras vestes posuit, nihil nõ movit, ut sciret, ubi hostis ageret? ut rescijt, conquisitis clâm armis & abjectâ religiosâ veste profanam induit, perque posticum cœnobij egressus hostem convenit, duellum indixit. stupuit alter & ipse militaris hominem, qui paulò ante sacrificârat, & pacem omnibus precatus fuerat, ad duellum provocare. pro usu tamen sæculi & torrente malæ consvetudinis provocationem admisit, in campum processit, inijt duellum. desunt verba, quibus tam atrox tam immane facinus conclamem? sæcularis qui provocatus fuerat dimicans cum Sacerdote religioso, ab hoc confoditur, & vita corporis pariter animæque in mortali scelere prostratus exuitur. ô Cain innocens, ô Juda juste, ô Saul sanctè, ô Herodes mansvete, ô diabole innoxie, si vos ego cum hoc sacerdote, sacrilego inquam homicida conferam! verbis destitui me omninò confiteor quibus condignè inauditum hoc scelus detester & execrer. abrumpo dictionem, & unicuique concludendum permitto, quàm verè maledictus iste furor appellari debeat peccatum non humanum, sed plusquàm belluinum ac diabolicum, prævaricatio æterna, & flagitiorum in Spiritum Sanctum tanquam authorem pacis ac clementiæ committi solitorum præcipuum, de quo

quo supremus judex pronuntiat: ***non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*** **Matth. 12. v. 32.**

Attollite itaque in altum cornua vestra & coniscate ultionum avidi, at scitote non tam adversùs hostes vestros, quàm contra illum vos insurgere, qui ultionum Dominus est, & cornua in manibus ejus, ut cornua peccatorum confringat. habet divinus agnus contra cornupetas hircos cornua septem & oculos septem, ut qui inter oves experiri noluerunt cornu salutis & clementiæ, sentiant cornua æternaturi rigoris atq; vindictæ. Si ultio septuplo dabitur de Cain, quia innoxium Abel occidit, de Lamech verò septuagies septies, quia Cainum interemit, proh quanta eos manet ultio, qui in lege gratiæ, post tot divinæ experimenta misericordiæ, post diluvium sanguinis Christi & toties iterata de injuriarum remissione præcepta fratrem nihilominus suum oderunt, & odiendo homicidæ fuerunt. Desperet DEI clementiam, qui inimico suo indulgere noluerit veniam; desperet stationem die novissimo inter agnos, qui cornua vindictæ jactavit inter hædos; desperet de favore cœli, qui furorem æmulatus est inferni. ite cornutæ bestiæ! ite infernales furiæ! ite maledicti hædi in macellum æternæ mortis, stagnum sulphuris, in cornua infernalium unicornium ite.

§. 7. ***Huiusmodi hædi in cornua agni incidunt.***

